





5.

בש הקבר

ΜΑΚΑΡΙΣΜΟΣ

των

ΕΙΡΗΝΟΠΟΙΩΝ,

Seu

DISPUTATIO SOLENNIS

De

BEATITUDINE  
PACIFICORUM,

*Ex Matth. V, 9.*

Quam

JUSSU & AUTORITATE

SUMME-REVERENDÆ

FACULTATIS THEOLOGICÆ

*In Academia Lipsiensi.*

Pro

LICENTIA

consequendi

Summos in Theologia Honores

& Privilegia Doctoralia,

*Ad d. 24. & 25. August. Anno cl. lxxc. XCIIIX.*

publicæ Censuræ submittit

M. IMMANUEL HORN, Neukircha-

Lufatus, SS. Theol. Baccal. Lipsiæ ad D. Thomæ Eccles.

Vespertinus, & Min. PP. Collegii Collegiatus.

LIPSIÆ, Recusa 1707.



VIRIS  
MAGNIFICA AUTORITATE,  
*Profapia Nobilissima, scientia rerum Divi-  
narum humanarumque excellentissima, prudentissima  
Consiliorum dextéritéate, intaminata pietatis ac ju-  
stitiæ gloria, & æternum de prædicanda meri-  
torum Amplitudine Illustribus,*

DOMINIS  
CONSULIBUS,  
PRO-CONSULIBUS,  
ÆDILIBUS,  
TOTIQUE ORDINI  
SENATORIO

Inclytæ Reipublicæ Lipsiæ  
*Dominis, Patronis & Promotoribus meis  
summa cum animi submissione atatem  
Devenerandis,*

Inauguralem hanc *de Pace & Beatitudine*  
DISSERTATIONEM

dico & consecro,

Omnis generis *Pacem ac Beatitatem a Domino Pacis  
ex animo precoratus.*



Uam nunc pro sanctionum Aca-  
demiarum tenore *Disputatio-*  
*nem Inauguralem* propono,  
nemini, nisi VOBIS, *Patroni*  
*Optimi Maximi*, deberi, o-  
mnes mecum fatebuntur, qui  
pensitare res æqua iudicii lance  
didicere. Tredecim hoc ipso mente completi sunt  
anni, cum me in alia Ecclesia Sacris operantem, nul-  
lique Vestrum ne a facie quidem notum, nedum ul-  
lo vel cognationis, vel necessitudinis, vel alio quo-  
dam nexu junctum, solo nutu atque ductu Divino  
moti, Rever. Ministerii Vestri Membris gratiose  
adscriptis, & primo quidem Conciones Meridia-  
nas, postea vero, Quinquennio nondum integro e-  
lapso,

A 2

lapſo , Veſpertas habendas , unanimi ſuffragiorum  
 conſenſu , mihi demandatiſtis . In quo obeundo  
 ſancto munere uti variis & crebris viciffitudinibus ,  
 DEo ita volente , ſubjacere , ac adverſa & ſubinde  
 quidem debili cum valetudine conflictari neceſſe  
 habui ; Ita Veſtram , *Patroni Indulgentiffimi* ,  
 Benignitatem atque favorem plus vice ſimplici ,  
 magna animi cum voluptate , ſentire atque exoſcula-  
 ri licuit . Vos enim ( meretur proſecto Veſter in Mi-  
 niſtros DEi affectus & animi propenſio , ut hæc com-  
 memorem , ) aliquoties me , cum infirmitas Vobis  
 mea innotuit , cohortati ſerio eſtis , immo , quæ ſingu-  
 laris Veſtra eſt gratia atque fecilitas , rogatiſtis etiam ,  
 ut mihi met ipſi parcerem , & ad tempus publicis  
 officii laboribus me ſubducerem , donec cum  
 Hygiea , Cœleſti adminiculante meoque Unico  
 Medico , in gratiam rediiffem . Vos , neque &  
 hoc tacendum arbitror , infirmitatis atque morbo-  
 rum tædia ac diſpendia magna ſanè in unificen-  
 tia abſterſiſtis & ſublevaſtis ; Vos modis innume-  
 ris propenſum Veſtrum in me immerentem ani-  
 mum aliis declaratiſtis . Plura dicerem , niſi metu-  
 endum mihi ſit , ne auribus me Veſtris aliquid da-  
 re , ac aſſentatiuncula quadam gratiam velle aucu-  
 pari , id quod a cordato cordato certe Eccleſiæ  
 Mini-

Ministro abesse longissime debet, quidam, qui me non noverint, arbitrentur. Quemadmodum & jam ingentia illa, & minus vulgaria beneficia, quibus sigillatim a Primariis Magnifici Vestri Collegii Membris nonnullis, multoties affectus ac cumulatius fui, silentio jam prætereo, tacitaque ac *devota* animi recordatione penes memetipsum veneror. Unicum hoc est, quod recensere mihi adhuc sit integrum, quodve brevem hunc eo sermonem, ubi cœpit, redire faciat; Vestris, Patroni cum cura Colendi, Auspiciis eum honoris Gradum, qui mihi jam confertur, ambire sustinui; Æquum hinc omnino erat, ut illustri quoque Nomini Vestro exigua ista, quæ illius collationem speciminis loco jure Statutorum præcedit, Dissertatio qua decet, submissione, inscriberetur. Hanc itaq; *Patroni observantissime devenerandi*, ut vultu propitio, tanquam debitæ observantiæ & grati animi monumentum suscipiatis, meque una cum meis, eo, quo hæctenus consuevistis, benevolentia ac Patrocinii favore prosequi pergatis, debita cum observantia peto atque contendo; Numen Benignissimum, quod feci hæctenus, nec, quoad vixero, intermittam, devote venerans, ut *Amplissimo Collegio Vestro* ex alto ulterius benedicat, Consiliis Vestris pro Ecclesia,

clesiæ & Reipublicæ salute atque incremento optatissimos successus adspiret, Vosque, *Parroni Optimi*, omnes & singulos, una cum *splendidissimis Familiis Vestris*, ad seros annos salvos ac incolumes præster, & nullo non prosperitatis atque *Beatitudinis* genere æternum florere atque vigere clementissime jubeat!

*Magnificarum, Nobilissimarum,  
Amplissimarum, Prudentissimarumq;  
Dignitatum Vestrarum*

Humillimus atque devotus Cultor,

**IMMANUEL HORN;**  
ad D. Thom. Eccles. Vespertin.





## IN NOMINE JESU!

S. 1.



Paradoxa sane ac prima fronte cum aliis Scripturæ locis vix conciliabilis Salvatoris locutio est, quando se non pacis & tranquillitatis demandæ, sed dissidii concitandi, sed gladii mittendi causa in hunc mundum venisse aperte testatur *Matth. X, 34-35. 36. Nolite, inquit, arbitrari, quod venerim pacem mittere in terram; Non veni pacem mittere, sed gladium. Veni facere, ut dissidat homo adversus Patrem suum, & filia adversus matrem suam, & nurus adversus socrum suam, &c.* His gemella videas *Luc. XII, 49-51. Ignem veni mittere in terram, & quid volo, si iam accensus est? Putatis, quod venerim pacem dare in terra? Non dico vobis, sed dissidium.* Quid ergo? Adeone illum, quem sub amabili תְּשׁוּבָה *Principis Pacis* nomine indigitat *Jesaias, c. IX, 7. Qui Rex Pacis* per Malchisedechum præfiguratus, *Hebr. VII, 2.* Imo qui ipsa *Pax nostræ, Eph. II, 14.* dulcissimæ Pacis Oso-rem, Pacis hostem, pacis & concordie turbatorem esse credemus, ut nulla ab eo Pax, nulla tranquillitas, sed mera potius dissidia, contentiones meræ atque rixæ ab eo sperandæ ac expectandæ sint? Ita sane videbatur *Simoni Mago*, hæreticorum Patri, qui hoc Christi Dictum immem-rito eo nomine suggillabat apud *Clement. R. Lib. II. Recognit.* Ita videbatur *Celfo* ab Origene notato, qui ideo in Jesum. Nazarenum debacchari non verebatur, quod venerit ille ex sua ipsiusmet confessione, ut ignem mitteret in terram, ut tanquam rebellis mera in terris daret dissidia. Ita videtur infensissimis Jelu nostri hostibus Judæis, qui ex hoc loco, Messiam nondum venisse, evincere conantur, eo quod adventus illius non conveniat cum vaticiniis & prædictionibus, *Jes. II, 4. XI, 6. Zach. IX, 10. &c.* In quibus & multis aliis hujusmodi locis Deus omnem separationem, distractionem, bella, contentiones ac dissidia e medio plane sublaturum, & meram vicissim pacem, concordiam ac tranquillitatem se terris donaturum in diebus Messie mult;

## BEATITUDO

multoties promiserit. Ita, inquam, videtur veritatis hostibus, acerbissimo in Jesum nostrum odio penitus excœcatis.

§. 2. Verum enim vero non est, cur offendi nos hoc Optimi Salvatoris pronunciato ullo modo patiamur. Venit omnino ut Unitatis & Pacis Pater, Autor ac Donator, venit ut contentiones & bella tolleret atque aboleret, & ut pacem mundo restitueret; sed pacem non mundanam, non caducam, non transitoriam, sed spirituales, sed cœlestem, sed æternam; Quemadmodum omnia Christi beneficia ad futuram potius & æternum duraturam, quam præsentē & vitam hanc temporalem, spectare novimus. Quamquam ab officio ipsius alienum etiam minime sit, pacem quoque mundanam & temporum nostrorum tranquillitatem largiri ac concedere. Fluunt enim non spiritualia tantum & æterna, sed corporalia etiam & temporalia beneficia ex satisfactione ac merito Christi, uti egregie docet B. Feurborn. *Oper. Theolog. pag. 1573. seq. 1651. seq.* Nam sicuti Adam primus non tantum spiritualia & æterna, sed etiam corporalia & temporalia a Deo accepta bona sibi & nobis peccando amisit, & mala contraria attulit, Gen. III, 16. &c. Ita Adam secundus non peccando, sed Divinam legem vice nostra & pro nobis perfecte implendo, nobis illa bona meritorie restituit, & ista mala a nobis abstulit, l. c. v. 15. Rom. V. v. 12. &c. Immerito itaque negat Bellarm. *Lib. II. de effectu Sacram. c. 17 §. vidit &c. quilibet bona, quæ Deus nobis dat, inniti reconciliationi cum DEO.* Cum Apostolus tamen expresse dica, τὰ πάντα, omnia nobis Deum cum & in Filio suo donare, Rom. VIII, 32. Quæ Theophylactus, Pareus & alii non ad spiritualia modo, sed temporalia etiam bono fidelibus promissa referunt. Imprimis Gisbert. Voëtius *T. II. Dissp. sele. 3. p. 273.* ex hoc loco omnino colligendum esse ait: Christum promeritum nobis fuisse etiam benedictiones vite animalis & civilis, seu bona animi, corporis & fortune, eorumque qualitatem & quantitatem, quibus in statu fidei & gratia credentes fruuntur. Quis ergo ambigat, pacem & tranquillitatem externam hunc quoque esse referendam: Cum autem hic Christus adventum suum in mundum non concordiam & pacem, sed dissensiones atque rixas secuturas esse dicit, recte circa hunc locum B. Glassi *Gram. S. p. w. 298.* monet, non designari heic propriam Christi & Evangelii actionē, & causam finalem, sed occasionē tantummodo ac eventum, adeoque ea duntaxat denotari, quæ Christi adventum & Evangelii præ-

PACIFICORUM.

prædicationem *ἡ ἀγάπη τοῦ θεοῦ* erant secuta. Non itaque per se venit Salvator dissidia in terra dare, ignem dissensionum accendere, sed continebat hoc per accidens; Idque hic prænunciat, quia ex malitia hominum occasione prædicati Evangelii certo futurum prævidebat. Nos in præsentiarum rem omnem verbis Obenheimii Exposition. pugnant. *Locor. in Luc. p. 434.* expeditam datus: *Christus his verbis non significat, se & Evangelium suum natura sua malum, seu peccatum operari; quomodo enim, quod natura bonum est, malum operaretur? sed vaticinatur, quantum mali per hominum malitiam e sua & Evangelii sui bonitate eveniat.* Quam bonum enim est Evangelium Christi, tam mali sunt homines, qui cum non possint propter impietatem suam ferri Evangelium, nihil non dissidiorum excitant, ut Evangelium & eos, qui Evangelio fidem habent, opprimant. Verbo: Diversitas objectorum tollit diversitatem dierum. Cum itaque Christus Pacis quidem Principis auriat, suisque pacem etiam polliceatur, *Job. XIV. 27. h. l. auctem non pacem, sed separationem & gaudium se immisurum dicat: De impiis hoc est intelligendum, quibus Evangelium Dei ex accidenti fit gladius rixas excitans: illud de piis & fidelibus, quibus Evangelium est vehiculum & adminiculum pacis.* Vid. omnino B. Walth. *Harmon. Bibl. p. 832. 943.* Prückner. *Vind. Bibl. Part. IV. p. 112. 454.* Meiss. *P. II. Philos. Sobr. sect. II. c. 2. quest. 12. can. 8. p. 667.* Hunn. *Tom. III. Oper. Lat. p. 31.* Judæis præsertim eorumque objectioni supra recensita satisfactum fuit a B. Müllero in *Judaismo p. 1049.* Simone Episcopo *Lib. III. Instit. Theolog. c. 21. Sc.* Taceo jam aliorum explicationes, præsentem autem instituto nostro quam maxime accommodatas, qui non de quacunque pace hic Salvatore loqui autumant, sed de pace illegitima, hominesque a DEO separante. *Quid dicis, Domine? quærit in Job. l. c. Cyrillus; Non venisti pacem daturus, qui factus es nobis pax, pacificans per crucem caelestia & terrestria; quæ dixisti: Pacem meam do vobis. Sed manifestum est, quod utilis quidem est pax, quandoque autem damnosa, & separans ab amore divino, per quam scilicet consentitur his, qui a Deo dissident: Et ob hoc fœdera terrena decuit vitare fideles.* Huic plane *ὁ λόγος* est *Lib. III. Epist. 240.* Isidorus Pelusiota, qui Christum dicentem, se non venisse pacem missurum in terram, sed gladium, non omnem pacem amoturum ait, sed eam tantum modo improbare, quæ injusta, perniciofa, Deoque contraria sit. De qua inferius pluribus nobis erit agendum.

B

§. 3. Qua-





PACIFICORUM.

Versio Vulgata:

*Beati Pacifici, quoniam (ii, Erasmus, ipsi, Beza,) Filii DEI vocabuntur.*

Alia:

*Beati (Arab.) facientes pacem, (Æthiop.)  
Conscientes pacem; (Pers.) qui tranquillitatem  
faciunt, quoniam Filii DEI vocati erunt.*

Lutheri Germanica:

*Gelzig sind die Friedfertigen/ denn sie werden  
Gottes Kinder heißen.*

CAP. I

*Philologico-Exegeticum.*

§. 5. Quod de mox sequente *vers. 14.* hujus Capitis: *ὁ φῶς τῆς κόσμου*; *Vos estis Lux mundi*, Dn. D. Jo. Deutschmann. in *Disput. Inaugurali* B. D. Joh. Andr. Lucii Cap. I. §. 2. dicebat: *Textus brevis est sono, sed amplissimus sensu; augustus verbis, sed angustus rebus*: Idem de antecedente *vers. 9.* quem paulo curatius jam expendendum præ manibus habemus, nobis est pronunciandum. Antequam autem ad singularum vocum enucleationem accedamus, prius de *scopo & argumento* hujus Dicti quædam erunt prælibanda. Per seculum ferme Evangelium de salute & vita æterna ita Christus docuerat, ut in se credentes *beatos* prædicaret, *Joh. III, 16. &c.* Et in principio magnus undique factus fuerat concursus ad prædicationem illam, promittentem credentibus beatitudinem regni cælorum, salutem & vitam æternam. Sed jam experientia ostendebat, illos, qui in Christum crediderant, non tantum manere pauperes & miseros secundum carnem, quales antea fuerant: sed præterea præ cæteris hominibus subjectos esse variis ærumnis & expositos maledictis & injuriis omnium hominum. Ipse enim Salvator in illo erat loco, in quem propter hostium persecutionem, ac Phariseorum cum Herodianis in sui perniciem conspirationem secesserat; Cumque variz essent hominum, & sine dubio etiam ipsorummet discipulorum co-

B a

gita

gitationes, quomodo amplissimæ illæ promissiones Evangelii de beatitudine, salute & vita æterna convenirent miseræ & despectæ credentium turbæ, quæ pluribus calamitatibus subiecta, & atrocioribus totius mundi injuriis exposita videbatur, quam reliqui homines. Iesus igitur, qui aliquandiu quasi meditabundus demissis oculis in monte Galilææ, cujus mentio fit vers. 1. hujus V. capit. Matth. Federat, attollens oculos in discipulos suos, conf. *Luc. VI, 20.* inchoat hanc concionem de *Beatitudine*. Quasi dicat: Vosne discipuli mei, qui in me credidistis, estis beati illi? Cum juxta carnem miserabiliores sitis omnibus hominibus, 1. *Cor. XV, 19.* Sed nolite timere, pusille Grex, quantumvis misera & despecta turba: quia *complacitum est Patri vestro, dare vobis regnū, Luc. XII, 32.* Id quod hoc loco ita effert: *Vos enim beati estis.* Vide *Harmon. Evangel. B. Gerhards Lib. III. Cap. LI. p. m. 294. seqq.* Orditur itaque Concionem suam Salvator ἀπὸ τῶν μακαρισμῶν, a beatitudinibus, uti bene hic observavit *Theophylactus, ὡς πρὸς καὶ ὁ Δαβὶδ ἀπὸ μακαρισμῶ ἀρχεται*, addit; quæ admodum etiam David Librum Psalmorum incipit a beatitudine: *בְּטוֹרַת יְהוָה Beatitudines Viri; Ps. I, 1.* Quem locum *Syrus* Interpret eodem modo, quo præsentis *μακαρισμῶς* nostros reddidit: *בְּטוֹרַת יְהוָה beatitudines Viri*; eoque ipso egregie Textum nostrum illustrat. Idem quoque initium est Psalm. XXXII. XLII. CXII. CXIX. & CXXXVIII. His omnibus in locis uti piis & in lege Domini ambulanti- bus, ac juxta ipsius præscriptum totam vitam suam instituentibus, omnigena quæ corpus, quæ animum felicitas ac beatitudo a Domino promittitur; ita ostendit sub exordium egregiæ suæ in monte concionis hoc vocabulum repetens Salvator, totidem generum homines eodem felices ac beatos prædicat inter quos *Pacifici* septimo loco collocantur. Quanta vero horum sit beatitudo, ex accuratiori vocis *μακάριος* consideratione plenius patebit.

S. 6. *Μακάριος* Est prima omnium vox, quæ ex ore beatis- simo Servatoris nostri in prolixa illa, *montana*, quam vocant, concione egreditur, omnemque piorum & DEum timentium, Pacis præcipue amantium, de quibus hic sermo est, felicitatem ac beatitudinem dicit atque exprimit, si vel originem ipsius tantummodo, & formationem grammaticam respicias. Sive enim deducamus hanc vocem cum *Pafore Lexic. p. 456. a μάκαρ*, quod idem esse putatur, ac *μη κηρὶ ὑποκείμεν* fato, i. e. morti non obnoxius: Sive cum *Aristotele*

tele *Lib. VII. Eth. Nicom. c. 11. ἀπό τῆ χαίρων*, a gaudendo, ita quidem, ut *μα* sit *αὐξητικόν*, & *μακάρι* dicatur quasi *μα χαίρι* *μάλιτα χαίρων* valde, maxime gaudens, cui posteriori sententia B. Daunh. *Memor. Evangel. p. 356. seq.* subscribit, Latinorumque dictionem adducit, *Tergo quaterque beatus. Felix*, qui potuit rerum cognoscere causas: res eodem recidit, miramque & Divinam prope modum felicitatem, ac omnis generis beatitudinem indigitat. Pulcherrima hinc Suida in *Lexico* circa hoc vocabulum est observatio, hicque minime silentio prætermittenda; Huic enim *μακάρι* idem est, ac *ὁ ἐν ἀγαθοῖς πάντοτε ὄν*, in omnibus, quæ mens humana concipere potest, bonis constitutus, ea nimirum felicitate præditus, quæ nemini, nisi soli DEO competat. Quemadmodum statim etiam subjungit: *λέγεται ὁ Θεὸς μακάρι*, *μετέδωκε δὲ ὁ μεγαλόδωρος τῶ ὀνόματι τοῖς εὐσεβοῦς ζῶσι*: Dicitur summus Deus *μακάρι*, *beatus*; sed pro ingeni benignitate & munificencia sua hujus sui Nominis participes reddit eos, qui pie vivunt. Convenit sane hoc accuratissime cum ipsis Sacris literis; ita enim vocem hanc soli DEO in iis tributam legimus, quem S. Apostolus non tantummodo *μακάριον Θεόν, beatum Deum*, *1. Tim. I, 11.* sed absolute quoque, & omisso vocabulo Dei, *τὸν Μακάριον* appellat, *Beatum illum*, *cap. VI, 15.* Quasi nemo, nisi solus DEus Beatus dicendus sit. Hoc nimirum est, quod ipsi etiam saniores inter Gentiles a Lumine naturæ agnovere, Deosque suos *Θεὸς μακάρος*, *Deos beatos* dixere. Homer. *Iliad. d. v. 406. d. v. 127. &c.* Huc illud Ciceronis, *Lib. I. de Natura Dearum*, referas: Ea est Dei vita, qua nihil *beatius* excogitare potest. Porro: quemadmodum pii & fideles, qui *refugiunt a corruptione. quæ est in mundo*, *Divine consortes sunt naturæ, & εἰς κοινὸν φύσι*, *2. Petr. I, 4.* Ita participare quoque dicuntur ipsam, quæ DEi propria est, beatitudinem ac felicitatem. Est DEus *ἁγιος* DEus in se Beatissimus, nullius rei indigus, sibi ipse sufficientissimus, uti seipsum multoties appellat, *Genes. XVII, 1. XXVIII, 3. XXXV, 11. Exod. VI, 3. &c.* Et ex sua sufficientia & plenitudine omnibus bonis & donis piis & fideles suos perfundit atque beat. Pulchre itaque hæc duo ipse Apostolus connectit atque conjungit; *ὁ μακάρι*, *Beatus DEus beatos homines reddit*: *ὁ μακάρι* *καὶ ὁ μόνος ὀνόματι, ὁ βασιλεὺς τῶν βασιλευόντων, καὶ κύριος τῶν κυριουόντων παρέχει ἡμῖν πλοῦσιως πάντα ἃς ἀπολαύσω*; *He ventus & solus Princeps, Rex regnantium & Domini-*

dominantium, præbet nobis omnia affatim ad fruendum, 1. Tim. VI, 17. Bene ergo iis est, qui τὸν μακάριον titulo gaudent, quietem animam habent & satisfactionem, prouti a B. Dannh. l. c. describuntur. Beatitudo enim DEum habentes omnia habent; quia ipse est τὸ πᾶν, omnia, universum ipsum, inquit Siracid. cap. XLIII, 29. Quoniam ex illo, & per illum, & in illum omnia, ipsi gloria in secula, Amen, Rom. XI, 36. *Pater Te est fons vita*, (i. e. inexhausta plenitudo atque perfectio, quæ fideles perfundis pro demerso voluntatis tuæ, *Vers. Junii & Tremellii*, cum subjunct. Schol.) *in luce Tua fruamur luce*, (i. e. juxta cit. *Vers. gloriosis & illustribus bonis Tuis*, vel præsentem & futura prosperitate, cujus causas & antecedentia petit sequente versu, nimirum misericordiam Dei & justitiam ex misericordia collatam) *Pf. XXXVI, 30.* Hic fundatum Sancti Ludovici dictum deprehendimus; *Omnis copia, quæ Deus meus non est, inopia mihi est.* En τὸν Μακάριον μακάριος homines præstantem! Confer. B. Dn. D. Geier. de *Omnipotent. DEI*, *Medit. l. p. m. 5. seqq.*

§. 7. Et hæc quidem omnia, quæ adduximus hactenus, ex Grammatica fluunt vocis consideratione. Haut itaque immerito Magnus noster Chemnitius, *Theologiam nostram esse*, imo ipsam Ecclesiam tantum esse debere Grammaticam dixit; *nec judicandum, leve & puerile esse studium explicationum vocabulorum*, Part. II. LL. p. m. 549. Hoc enim neglecto egregiæ sæpe numero & ad ædificationem maxime idoneæ meditationes sicco pede prætereuntur. Quando vero nunc ad realem hujus vocabuli μακάριος deductionem accessum faciemus, longe amplior de hac, quam hactenus descripsimus, beatitudine differendi se campus aperiet. Paucis multa, uti solet, complectitur B. Geierus noster, istamque, quam per suum דָּוִד David expresserat, μακάριότητα, per singularem, veram ac constantem tam corporis, quam animæ felicitatem designat; ubi cuncta succedunt ex voto, (non quidem carnis, sed Spiritus recte sentientis,) & quam excipit tandem æterna in Cælis beatitudo; *Comment. in Psalm. Part. I. p. m. 2.* Locis, quæ materiæ illustrandæ causa ab eo adducuntur, ibidem possunt videri.

§. 8. Continet itaque hæc beatitudo i.) liberationem ab omni malo, tam culpæ, quam pænæ; ubi peccatum non tantum ex gratia remittitur; μακάριοι, beati, (inquit Apostolus ex Psalm. XXXII, 1. ubi μακάριοι & דָּוִד unum idemque esse, iterum pulchre ostenditur,)



quorum remissa sunt iniquitates, & quorum obiecta sunt peccata. Μακάριος ὁ ἀνὴρ, beatus vir, cui non imputabit Dominus peccatum, Rom. IV, 7. 8. Quem μακαριστῶν in sequentibus non ad circumcissionem tantum pertinere docet, sed & ad præputium, omnesque adeo, qui verè in Christum fidei sunt, μακαρίστis & beatos prædicat: Sed insuper etiam poenæ peccatis nostris debita a DEO gratiose condonantur. Hinc Nathanis solatii plenissima vox ad Davidem poenitentem: *Abstulit Dominus peccata tuâ, non morieris*; Remissionem culpæ sequitur ablatio poenæ, 2. Sam. XII, 13. Complectitur porro hic μακαριστός 2.) præsentiam & fruitionem omnis boni, quocunqve illud veniat nomine, sive nosmetipsos, sive Nostros, sive externam fortunam nostram respiciamus. Ubique bene est ejusmodi homini, qui μακάριος a Deo dicitur, dat ei DEUS petitiones animi sui, Psalm. XXXVII, 4. Et hæc beatitudo tandem perfecta est in vita æterna, quam per beatam mortem, superatis omnibus, quæ in hac vita felicitatem nostram turbare visa sunt, malis, cum gaudio pii ingrediuntur. Nam μακάριος, *Beati mortui qui in Domino moriuntur a modo*, Apoc. XIV, 13. (De quo μακαριστῶν beate in Domino morientium ejusque privilegio vide eruditam Disputationem a B. Joh. Ernesto Gerharo Jenæ habitam d. 18. Nov. 1663.) Μακάριος, *beatus qui comedit panem in Regno Dei*, Luc. XIV, 15. μακάριοι, *beati, qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt*, Apoc. XIX, 9. Quæ & alia ejusmodi loca talem nobis pollicentur beatitudinem, quæ est ὑπὲρ ὄρων, ὑπὲρ λόγων, καὶ ὑπὲρ πάσαν κατάληψιν; Cum oculus non viderit, & auris non audierit, nec in cor hominis adscenderint; quæ preparaverit DEUS diligentibus se, 1. Cor. II, 9.

§. 9. Antequam hinc abeam, facere non possum, quin paucis quidem; quæ circa hanc μακαριότητα B. Dannh. *Memor. Evangel. p. 522. seq.* sit meditatio, adjiciam. Hic enim eum, qui τῶν μακαρίστis elogia a Deo ornatur, beatum esse dicit, (1.) *positive*, quippe qui tranquillam habeat conscientiam; *justificati enim ex fide pacem habemus erga Deum per Dominum nostrum Jesum Christum*, Rom. V, 1. (2.) *Privative*, eum liberatus ejusmodi homo sit hic quidem a regno & Dominio peccati: *Illic vero etiam a laqueis, irritamentis & sensu peccati. Etenim qui mortuus est, justificatus est a peccato*, Rom. VI, 7. (3.) *Oppositive*; Quanta namque est miseria & infelicitas peccatorum & juxta carnem viventium; Quo pertinet illud vs. 1. vs. Salvatoris, quod aliquoties

de hominibus impiis & mundanis ingeminat, illosque a piis fidelibus mediante vocula *ἄλλῃ* aperte discriminat: *ἄλλῃ δὲ αὐτῶν τοῖς πλάστοις*, &c. *Luc. VI, 24. seqq.* Tanta vicissim piorum & in Christum credentium est beatitudo & prosperitas. *Dicite iusto*, inquit Dominus, *bene esse, nam fructu actionum suarum fruíturos esse*, *Jes. III, 11.* Id quod, æque uti in Textu nostro, ab opposita impiorum infelicitate statim illustratur *vers. seq. 12. Va, improbo male est; nam retributio manuum ipsius conficietur ipsi.*

§. 10. Ex his jam patere arbitror, quid vox *μακάριος* denotet, & quam ampla sint, quam egregia & exoptata dona & bona, quibus frui a DEo datum sit iis, qui hoc nomine veniant. Ut adeo nequibus dubitemus de hoc idem pronunciare, quod de voce *Pacis*, tiquam dubitemus de hoc idem pronunciare, quod de voce *Pacis*, quæ omnis generis felicitatem atque beatitudinem significat. Quæ quidem in sententia vel ideo confirmamur, quia hic de beatitudine namque *μακάριος* & pacem amantibus competit. Namque *μακάριος ἐστὶ εἰρηνοποιός* &c. Quale itaque *subiectum*, *εἰρηνοποιός*, tale quoque erit, hic quidem in verso ordine, priori loco, ad denotandam majorem *emphasis*, positum, *prædicatum μακάριος*. Quod si jam hac voce eum indicari dicamus, qui pace gaudeat, & pace quidem interna & externa, multa profecto diximus, omniaque & singula, quæ felicem atque beatum hominem in hac & futura vita efficiunt, uno verbo complexi sumus. *Pax enim optima rerum, quas homini novissime datum est.* Inde ex usu præcipue Hebræorum *Pax* sumitur in genere pro *omnigena prosperitate, felicitate, tranquillitate; atque adeo pro salute & incolumitate, vel pro rebus secundis, seu pro prospero ac felici rerum omnium successu.* Ita Ravanell. *Biblioth. Sacr. Part. II. p. 520.* Loca Scripturæ, quæ ad probandum & illustrandum hoc suum assertum adducit, pene sunt innumera, & l. c. possunt videri. Confer etiam Flacium *Clave Script. Part. I. p. 841. seqq.* Quare vix quendam Hebræorum invenias vel de alteri statu & rerum futurum facie sciscitantem, vel omnia fausta & prospera illi apprecantem, vel amice illum compellantem ac salutantem, vel ab altero discedentem, aut blandedem; ac benevole eum a se dimittentem, qui non *שלום* suum, aut suavissimum *Pacis* vocabulum adhibeat. Hinc illa Josephi ad fratres adventantes directa sciscitatio: *שלום אביכם*: Num Pax Patri vestro? An prospere est Patri vestro? Egregie B. Lutherus: *Sehet es curem Vater wohl?* Qui eodem modo etiam

etiam respondebat: **שְׁלוֹם לְעַבְדְּךָ לְאַבְנֵי** Pax est servo tuo, Pa-  
tri nostro; Lutherus: **Es gehet deinem Knecht unserm Vater wohl!**  
*Gen. XLIII, 27. 28.* Eandem de salute & sua & filii & mariti isciran-  
di formulam in salutanda Sunamitide jussu Domini sui Elisæi Pro-  
phetæ adhibebat Gehasi: **הַשְׁלוֹם לָךְ** num pax tibi? **הַשְׁלוֹם**  
**לְאִישֶׁךָ** an pax Viro tuo? **הַשְׁלוֹם לְיָלְדֶיךָ** num pax filio? Cui etiam  
eodem Hebraismo illa reponebat: **שְׁלוֹם** Pax: omnibus bene est,  
*2. Reg. IV, 26.* Egregium quoque locum invenimus *1. Sam. XXV, 6.*  
hec a nobis minime prætermittendum, ubi David ita per servos suos  
Nabalem alloquitur: **לְחַיֵּי וְיָמֵי אֶתְרָה שְׁלוֹם וְכִבְיֹתָךְ שְׁלוֹם וְכָל אֲשֶׁר**  
**לְךָ שְׁלוֹם** Opto ut vivas, & ut tu sis pax, & ut domus tua sit pax, &  
ut, quicquid tibi est, sit pax! Mitto jam alia loco, quæ diligenti fon-  
tium scrutatori non sine voluptate ubique obvia sunt. Fluit ex hoc  
fonte in Epistolis Apostolorum multoties occurrens Pacis comprecatio:  
*χάρις ὑμῶν καὶ εἰρήνη ἀπὸ Θεοῦ πατρὸς*, κλ. *Rom. I, 7. 1. Cor. I, 3.*  
*2. Cor. I, 2. Eph. I, 2. εἰρήνη τοῖς ἀδελφοῖς καὶ ἀγαπῆη*, κλ. *Eph. VI, 23.*  
*2. Job. v. 3. 3. Job. v. 15. εἰρήνη σοι. &c.* Quo referre etiam possumus il-  
lud Salvatoris ex mortuis redivivi, quo Discipulos suos salutare,  
quando ipsis apparuit, consuevit: *εἰρήνη ὑμῶν*, *Job. XX, 19. 21. 26.*  
Quamquam hoc non nuda fuerit salutatio pacisque comprecatio, sed  
pacis, præsertim spiritualis & æternalis, quam ipse ceu Pacis Prin-  
ceps, Pacis Autor ac donator, omnibus hominibus, (*εἰρηνοποιήσας*  
*διὰ τῶν ἁμαρτιῶν τῶν ἡμεῶν*, *Col. I, 20.* de quo infra pluribus.) san-  
ctissimo suo merito acquisivit, oblatio, ablata collatio, collata pa-  
cis confirmatio, Quare ipse etiam *ἡ εἰρήνη ἡμεῶν*, pax ipsa nostra dicitur,  
*Eph. II, 14.*

§. II. Jucunda sane est hæc consideratio, qua μακαρισμὸς il-  
le, quem explicandum hic nobis sumpsimus, mirum quantum illu-  
stratur: Hic enim quemadmodum competit τῆς εἰρηνοποιήσεως pacificis:  
ita per pacem, omniaque bona, quæ pacis nomine indigentur, est  
merito describendus. Quousque itaque Pacis vocabulum se extendit;  
eiusque etiam illa beatitudo, quæ pro fundamento pacem agnoscit,  
illisque promittitur, qui pacis sunt studiosi, pacemque omnibus mo-  
dis sectantur. Ut adeo ipsa etiam vita æterna hic non excludatur, ubi  
*in caula pacis residebit populus DEI*, *Jes. XXXII, 18.* Quisquis ambulat  
*in æquitate sua, ingreditur pacem*, c. *LVI, 6.* Quando itaque B. Ger-  
hard. Annotat. postibum in *Matth. p. 248.* negat per beatitudinem

BEATITUDO

*b. l.* ipsam vitam æternam intelligi, sed *per rem bonam ac DEo placen-*  
*sem* reddendam esse dicit, exemplo Lutheri, qui vocem Hebr. syno-  
 nymicam *וְשֵׁנָה* (de qua *supra p. 8. 9.*) *wohl, wohl* dem/transulerit;  
 Tunc *vel* cum B. Althofero *Harmon. Evangelist. emedullata p. 326.* im-  
 mo ipso etiam magno Chemnitio *Harm. Evangel. Lib. III. Cap. LI. p.*  
*m. 295.* per vitam æternam intelligit *meritum salutis*, quod omnino  
 hic *vel* maxime removetur; (nihil enim per pacis studium, nedum  
 ipsam vitam æternam promeremur, uti *infra pluribus* ostendetur,) *vel*  
 ad primam tantum *τὴν μακαρίαν* a Christo *b. l.* laudatorum clas-  
 sem istud refert; ubi *pauperes Spiritu* beati prædicantur. Quorum  
 quidem verborum hunc sensum esse dicit: Bene pauperibus Spiritu,  
 quia, quamvis foris affligantur & pauperie premantur, intus tamen  
 tranquilla conscientia & spe futuræ gloriæ fruuntur, ideoque in  
 mediis miseris possunt gaudere & exultare. Beati itaque sunt beati-  
 tudinis 1.) *inchoatione*, 2.) *expectatione* infallibili, *Rom. VIII. 24.*  
 Facit huc quoque Cornelia Lap. *in hunc locum* Commentatio, cujus  
 hæc sunt verba: Beati in *spe*, sed nondum in *re*: Beati beatitudine  
*vite*, non *patriæ*: Beati in *inchoatione virtutis* & pacis, non in *consum-*  
*matione coronæ & gloriæ*. Quæ tamen omnia, si rem recte pensites,  
 cum nostra *supra* data explicatione optime conveniunt. Qui beatus  
 est beatitudinis expectatione infallibili, beatitudinis inchoatione,  
 ita quidem ut hæc beatitudo fluat ex voce *μακαρίων*; utique ipsa *e-*  
*tiam vita æterna* per hoc vocabulum significatur, quicquid sit de  
 differentia hujus & alterius vitæ, sufficiat nobis adhuc dum in hæc  
 vita constitutis *salus gratia*, donec tandem in alteram evocatis obtin-  
 gat *salus gloria*, Modo jam ambulemus *διὰ πίστεως*, *per fidem*; Er-  
 erit aliquando, ut ambulare etiam liceat *διὰ ἔργων*, *per speciem*, *2.*  
*Cor. V. 7.*

S. 12. Quod si jam omnia, quæ dicta hæcenus sunt, colliga-  
 mus, non *actum* tantum & *formam* hujus *μακαρίων*, sed ipsius  
 etiam *modum*, excellentiam, magnitudinem, varietatem, diversasque  
 partes & species hoc uno verbo contineri deprehendimus. Magna  
 igitur est vocis vis atque emphasis, quam ut aliquatenus exprime-  
 ret, Syrus Interpres, pro singulari adhibuit numerum multitudinis,

*ἡ μακαριότης* Beatitudines suæ, scilicet sunt pacificis. Nullo  
 beatitudinis, prosperitatis, salutis atque incolumitatis genere desituntur,

tur, neque in hac, nec in futura vita, ejusmodi homines; Beati sunt anima, beati corpore; ubique, quo se vertant, meram gaudendi & beatos se prædicandi conspiciunt materiem. Cum enim ex fide iusti sint & in gratia apud DEum constituti, pacem DEi omnem intellectum superantem in se sentiunt, quæ & custodit corda & sensus ipsorum per Christum Jesum, Phil. II, 7. Et hætenus quidem de Beatitudine egimus, quam piis & fidelibus omnibus, speciatim vero pacem sanctis, promisit Salvator; ordo nunc Textus requirit, ut hoc beatitudinis subiectum paulo curatius consideremus. Sequitur igitur alterum Dicti nostri verbum, quod est.

§. 13. (Οἱ εἰρηνοποιοί) Est vox valde emphatica, & ipsa sui formatione & compositione, cum ex εἰρήνη & ποιέειν conflatur, multa & egregia dicit & legentis animo insinuat. Id quod B. etiam Lutherus observat, & in Glossa marginali in h. l. hanc notam adjicit: εἰρηνοποιοί longe anteferendi sunt τοῖς εἰρηνοῦσι; Ille enim faciunt & operantur pacem, promovent & conservant eam inter alios. Magnum scilicet est discrimen inter εἰρηνοῦσι, quos germanice reddidit Megalander friedsame. Quod vocabulum bis occurrit in N.T. in Epistola ad Hebr. cap. XII, 11. ubi καρπὸς εἰρηνοῦσι, fructus tranquillæ; & in Epist. Jacobi cap. III, 17. ubi σοφία εἰρηνοῦσι, sapientia pacifica, mentio fit ab Apostolis: Et inter εἰρηνοποιούς, qui Luthero Friedfertige dicuntur. Illi enim tales sunt homines, qui ipsi pro se abhorrent a contentionibus, amant pacem, & student concordia; Hi vero sunt conciliatores pacis, qui non tantum ipsi pacifici quietique sunt, sed etiam inter alios dissensiones tollere ac componere, & quantum in ipsis est, pacem conciliare, satagunt. Quæ utrorumque est descriptio B. Chemnit. Harm. Evangel. l. c. p. m. 306 ejusdemque Epitomatoris, B. Altkoferi Harmon. Evangelist, emedullata pag. 328.

§. 14. Cæterum hæc vox εἰρηνοποιούς pertinet ad μοναχῶσι λέγόμενα, & nullibi in Scriptura S. nisi hoc in loco invenitur. Verbum quidem cognatum εἰρηνοποιέειν etiam semel tantum de Christo usurpatum legimus, Col. 1, 20. Ubi Salvator εἰρηνοποιήσας dicitur, qui pacem conciliaverit per sanguinem crucis suæ inter ea, quæ in terra, & quæ in Cælis supr. Id quod ingenti profecto honori & ornamento est pacificis, qui in unam eandemque class. m cum Christo Pacificatore collocantur, soli que digni habentur, qui eodem verbo, quo Pacis Frit-



depingitur; Non enim sufficit, uti hic commentatur Chrysoſt. Cbriftianos ipſos eſſe pacatos, niſi acceſſerit pacis inter alios concilianda ſtudium. Ευταύθα ἡ τὸ μὴ ῥαſιάζεν ἐαυτοῖς μόνον καὶ ἀπεχθάνεσθαι πρὸς ἀλλήλους ἀναίρεται ἀλλὰ καὶ ἑτερόν τι πλεόν ἐπιζητεῖ, ἵνα καὶ ἑτέρος ραſιάζωντος συνέρωμεν. Hic non modo diſſentire inter nos tuo prohibet atque invicem dimicare; ſed aliud quiddam majus requirit, ſcilicet, ut etiam alios diſſidentes in Sacram ſtudeamus revocare concordiam. Ita loquitur Tom. I. Oper. Edit. noviff. Francof. fol. 169. ſeqq. Ὁμόφρων huic plane hic deprehendas ipſius Epitomatorum Theophylactum in b. l. Qui εἰρηνοποιοὶ, inquit, ἡ ἰδὸν εἰρνεύοντες αὐτοὶ πρὸς πάντας, ἀλλὰ καὶ οἱ ἑτέρος ραſιάζοντας καταλλάσσομεν. Εἰρηνοποιοὶ δὲ εἰσὶ καὶ οἱ διὰ διδασκαλίας τῆς ἐχθρῆς τῆ θεῆ ἐπιτρέφομεν, i. e. qui non tantum ipſi cum omnibus in pace vivunt, & pacem ſeclantur, ſed qui etiam alios inter ſe diſſidentes conciliant. Quin illi etiam hoc vocabulo denotantur, qui per ſanam doctrinam hoſtes DEi convertere laborant. Gemella invenias apud Gregor. Nyſſen. Orat. VII. de Beati. Tom. I. fol. 324. ſeqq. Theophanem Homil. LI. fol. 353. Iſidor. Peleſiot. Lib. IV. Epist. CLIII. fol. 510. & alios, qui prolixius hoc argumentum profecuti ſunt. Eo quoque tendit deſcriptio Pacificorum, quam Hieronymus dedit Comment. in b. l. Tom. IX. Oper. fol. 16. Hos enim tales eſſe dicit, qui primum in corde ſuo, deinde inter fratres diſſidentes pacem faciunt. Quid enim prodeſt, inquit, alios per te pacari, cum in tuo animo ſint bella vitiorum. Eadem mens fuit etiam Menochio in b. l. qui εἰρηνοποιός, i. e. pacis factores ſeu conciliatores nos dicit, qui & ipſi quieti ſunt & pacati, & alios, quantum in ipſis eſt, reconciliant, & paci ſtudent. Iſdem ferme verbis in explicanda hac voce utitur Lucas Oliand. in b. l. nec non B. Brentius b. l. qui, Pacifici dicuntur, inquit, Pacificatores, ſequeſter aut arbitri, qui ſuſcipiunt rixas diſſidentium componendas, & ad concordiam redigendas. Cæterum doctrinam hanc de Pacificis aliquanto accuratius & prolixius tradit S. Bernh. Libro continente diverſas morales & utiles ſententias, fol. 485. ſeq. qui tres Pacificorum claſſes facit, quorum alios nominat Pacatos, alios Parientes alios Pacificos in ſpecie ſic dictos. Illos dicit pacem recipientes, iſtos pacem retinentes, hos pacem facientes. Quæ tria pacificorum genera in ſequentibus ulterius explicat & deducit. Summam eorum, quæ hic exſcribenda eſſent, complexus ipſe Bernhardus eſt dulciſſimis hiſce, uti a B.

Chemnitio *Harmon. Evangel. l. c. p. m. 307.* vocantur, versiculis:

*Nullo turbavi: Discordes pacificavi.*

*Jesus sustinui: Nec mihi complacui.*

§. 16. Et hæc omnia, quæ adducta hæcenus sunt, bene sese habent, & quæ pacificorum natura sit & indoles, sufficienter ob oculos nobis ponunt. Nemo autem melius & exactius hoc argumentum pertractavit, ac Magnus noster Carpzovius, Patronus atque Promotor meus ad cineres usque devenerandus, qui in Conc. funebri quadam in hunc ipsum Textum, quæ legitur *Tom. V. Conc. funebr. p. 458. seqq.* & egregit Commentarii vices supplet, omnia, quæ dici hic possunt, elegantissimo ordine proposuit. Constituit Hic sex classes τῶν εἰρηνοποιῶν seu Pacificorum; in quarum prima illi continentur, qui paciscuntur *inter se & DEum*, quando per veram penitentiam ad DEum, quem peccata nostra inimicum nobis reddiderant, *Jes. LIX, 2.* accedunt, Pacis Principem fide apprehendunt, pacemque adeo ipsius merito acquisitam sibi fiducialiter applicent; ὅτι δι' αὐτοῦ ἔρχομεν τὴν εἰρήνην πρὸς τὸν πατέρα, *Ephes. II, 18.* *Qui charos nos sibi reddidit per illum dilectum, cap. 1, 6.* In altera classe ii collocantur, qui pacem faciunt *secum ipsis*. Quando enim etiam in hominibus piis atque regentis duo adversa fronte concurrunt agendi principia, Caro puta atque Spiritus; *Caro concupiscit adversus Spiritum, Spiritus autem adversus carnem.* Et hæc *inter se mutuo adversantur, Gal. V, 17.* *Εἰρηνοποιεῖ* est eo allaborare, ut hoste, carne reluctantem & ferocientem superata, quantum in hæc imbecillitate quidem fieri potest, & Spiritu palmam ferente, pax tandem virtute DEI obtineatur, *l. c. vers. 18.* Quo illam etiam animi tranquillitatem referas, qua pii atque fideles in hoc mundo gaudent. Quando enim *reprobi sunt, ut mare propulsum, quod quiescere non potest, & aqua ejus expellunt cænum & lutum.* Nam nulla est pax, inquit DEUS meus, *improbus, Jes. LVII, 24, 25.* Pii in Domino pacati sunt ac tranquillii, seduloque id dant operam, ut anima ipsorum quiete fruatur, & post varia, quæ hic sustinenda sunt, certamina, *ad requiem suam reverti queat, Psalm. CXVI, 7.* Tertiam τῶν εἰρηνοποιῶν classem constituent paciscentes *inter se & proximum.* Cum enim fieri facillime possit, ut pacis etiam amantissimi pace nonnunquam destituantur; Ipsi quidem *pacem diligunt; At quum loquuntur, impij ad bellum clamant, Psalm. CXX, 7.* Sui officij ejusmodi pacifici esse arbitrantur,



cor, ut de pace conservanda & restauranda, sicubi ansilla fuerit, semper cogitent, ut ipsi contentiones fugiant, causas disfidiorum vitent, a se disidentes, sive ipsi offenderint alios, sive ab aliis sint offensi, studeant reconciliare, & in gratiam cum ipsis redire. Facit huc egregia Apostoli admonitio: *Ἐὶ δὲ ἀγαθὸν, τὸ εἶναι ὑμῶν, μετὰ πάντων εἰν ὁμιλίᾳ εἰρηνεύοντες*, Rom. XI, 18. *Quarta* ex mente laudati Theologi Pacificorum classis est eorum, qui paciscuntur inter DEum & proximum. Id quod præcipue Ministris Ecclesie competit, qui sunt Angeli, *Legati Pacis*, *Jos. XXXIII, 7.* *Qui nomine Christi legatione funguntur* (ἄποστολοὶ) tanquam DEo obsecrante per ipsos. *Rogant enim pro Christo, ut reconciliemur DEo*, 2. Cor. V, 20. *Quantum etiam alii ad ejusmodi pacem inter DEum & homines sanctendam pro modulo virium & vocationis se obligatos esse noverint.* Omnium enim est, *docere defectores vias Domini, ut peccatores ad DEum convertantur*, *Psal. LI, 15.* *Quintam* τῶν εἰρηνοποιῶν classem illi occupant, qui conciliare pacem student inter *Angelos & homines.* Abominantur Angeli homines peccatores, eorumque una cum Domino suo, DEo sunt inimici. *Qui itaque converti fecit peccatorem ab errore vite sue*, *Jac. V, 20.* inter illum & Sanctos Angelos pacem constituit, qui pœnitentia hominum & sancta vita delectantur, & in illorum *ministerium a DEo deputati*, *Ebr. I, 14.* animas eorum tandem in morte ad æternam pacem deportare gaudent, *Luc. XVI, 22.* *Infertam* denique & ultimam Pacificorum classem Theologus celeberrimus collocat pacificos inter *litigantes proximos*, qui etiam alios, inter sese mutuo altercantes, & discordiam alentes, reconciliare, & ad concordiam redigere conantur. Elegans de his dictionem invenimus in Scriptis Veterum Hebræorum, qui salutare hoc discipulis reliquere monitum? *Ne grave tibi sit ire ad visitandum agrotum milliæ unum: Et ad conciliandum pacem inter homines, duo: & ad bonorem Creatoris, tria.* Refert Druf. *Lib. III. Apophib. Hebr. XXIIIX.* Hæc aliquanto prælixius recensere, & perpulchra illa, quæ l. c. a Maximi Nominis Theologo, (quem in seros annos DEus Ecclesia sua servet!) proferuntur, in summam redigere non fuit dividie, cum illa totam rem egregie illustrarent, & sola possint ad hujus, quod præmanibus habemus, vocabuli explicationem sufficere, si vel ne verbum quidem additum a nobis fuisset.

BEATITUDO

13

§. 17. Postquam igitur propositionem primariam nostri Textus, quæ, si Logice eandem efferas, hoc *subjecto*: ὁ εἰρηνοποιεῖς & *predicatio*, μακάριοι, const. nt, absolvimus; Progrediendum nobis jam ad alteram erit, quæ sequentibus Dicti nostri verbis continetur; ὅτι αὐτοὶ οὐκ ἔσονται κληθήσονται. Adducit hic optimus Salvator *frundamentum* istius, quem de Pacificis prædicavit, μακαρισμῶν, & rationem dat hujus sui asserti. Ideo enim beati sunt pacem sectantes, quia filii DEI sunt. Hic profecto est fons & origo omnis salutis & beatitudinis, filiatio apud DEum. Qui filius DEI non est, nec beatus erit, filius quippe iræ & damnationis, *Eph. II, 3. Sed si filii, igitur & heredes quidem DEI, cohæredes autem Christi*, (utpote, Fratris nostri, *Hebr. II, 11.*) si quidem simul cum eo patimur, ut & una cum eo glorificemur, *Rom. VIII, 17.* Cæterum etiam hic, uti in antecedentibus, singulæ voces expendendæ nobis sunt; Et primo quidē loco occurrit vocula.

§. 18. ὅτι, quia, quoniam) Particula juxta Flacium *Clav. Script. S. f. 721.* ambigua est & valde πολύσημη. Sumitur enim nonnunquam tantum *expletive*, uti *Luc. XXIV, 46.* ὅτι ἔγω γένησθε τῶν μακαρίων κλ. interdum *objectivæ*, *Job. XI, 41.* πᾶτες, εὐχαριστῶσαι, ὅτι ἠκυσάσθε με. *Adversative*, *Luc. XXIII, 40.* ὅτι ἐν τῷ αὐτῷ κρηματιεῖς; *Discretive*, διακριτικῶς & *distinctive*, uti in illo Paulino *1. Tim. I, 13.* Misericordiam adeptus sum, ὅτι, quod ignorans fecerim per incredulitatem. Ubi discernitur Pauli peccatum a peccato in Spiritum S. mediante hac particula, tanquam nota *distinctiva*. vid. B. Feurborn. *Opp. Theol. p. 2046.* Accipitur porro *assertivæ*, *Luc. IV, 21.* ὅτι σήμερον πεπλήρωται ἡ γραφή αὐτῆ. *Confirmative*, quemadmodum Henricus Stephanus in *Concordantiis Matth. VII, 23.* vertit ὅτι, certe, nunquam novi vos. Et cum B. Glass. *Philol. S. Lib. III. Tract. VII. Cap. XVIII, p. 617.* hanc particulam sæpe redundare dicat, nec fere ullam aliam vim habere, quam σύνδεσμη παραπληρωματικῶς habere solet; ipsi Stephanus contradicit, & tantum abesse putat, ut redundet hæc vocabula, ut confirmandi potius vim habere videatur. Cujus quoque sententiæ Bezam esse deprehendimus, qui ὅτι *Luc. VII, 16.* ita reddidit: Certe Propheta magnus surrexit inter nos. *Syllogistice* etiam interdum usurpatur, ita ut *causam inferendi logicam*, & præcedentium rationem ac probationem: non essendi *moralem vel physicam*, seu *causam efficientem*, denotet; Quam significationem obtinet *Luc. VII, 47.* ubi de muliere pedes suos ungen-

ungente dicit Salvator: *Remittuntur peccata ejus multa, & q̄oniam dilexit multum.* Ulterius etiam sumitur *reduplicative*, uti in illo *Job. V. 27.* Et potestatem ei dedit iudicium faciendi, *& q̄oniam, in quantum, quatenus*, Filius hominis est. It. *i. Job. III. 9.* *Omnis, qui natus est ex DEo, peccatum non committit, & q̄oniam sem-n ipse in eo manet.* Et tandem accipitur *circulatorius & casualiter*, ita ut rei, de qua agitur, argumentum atq̄e causam dicat; uti in illo Salvatore: *Qui non credit, jam condemnatus est, & q̄oniam, quia non credit in Nomen Unigeniti Filii DEI, Job. III. 18.* vide præter citatos jam tum Auctores de hac particula B. Meisn. *Antropol. Dec. III. Disput. XXVIII. p. 367. seq.* B. Walther. *Harmon. Biblic. p. m. 136. 1208.* B. Feurborn. *Opp. Theol. p. 195.* B. Calov. *Disput. de Fodina mystica in Job. V. 39. Sect. II. §. 12.* B. Scherz. *Divina Θεσις hominum non ad iram, sed salutis acquisitionem, Sect. I. §. 1.* B. Dn. D. Alberti *Dissert. de vana persecutorum Ecclesie vera persuasionem, in Job. XVI. 2. 3.* taceo alios, ubi multa erudita & notatu digna invenies.

§. 19. Non autem sufficit, hæc ita nude enarrasse, sed quemnam in presenti loco vocula ista obtineat significatum, ulterius jam erit dispiciendum. Pontificii *causalem* esse particulam dicunt, ideo quidem, ut pacis studio, tanquam operi bono, beatitudinem & vitam æternam, seu causam meritoriam adscribere possint. vid. infra *Cap. II. Porism. IX. §. 36.* Sed observant hic Theologi nostri, Christum non loqui de *causa beatitudinis*, sed de *subiecto*, quoniam illi sunt, qui beatitudinem consequantur, nempe *Pacifici*; Non recensere media perveniendi ad salutem, sed tantummodo *signa salvandorum*; studium pacis non poni ut *causam* filiationis apud DEum salutis, sed a *signo* in oculos incurrente illos describi, ad quos ex aliis causis, nimirum ex *DEi gratia Christi, merito fide* apprehenso, salus & vita æterna pertineat. *Signum* vero illud esse, quod tales ad mandatum & exemplum Salvatoris sui paci studeant, pacem querant, & dissensiones, rixas ac contentiones angue pejus & cane vitent atq̄e detestentur. vid. Prückn. *Vindic. Evangel. Part. IV. p. 35. 36.* Althofer. *l. c. p. 326.* Fontem hujus interpretationis nervose atq̄e erudite offendit Magnus Chemnit. *Harmon. Evangel. cap. LI. p. m. 395.* ubi *Christum hoc loco non tradere illam doctrinam docet, quæ Evangelii propria & peculiaris est: ubi & quomodo nimirum peccator quærere debeat & invenire possit*

D

gra-

gratiam Dei, remissionem peccatorum, salutem & vitam æternam; Eius enim in precedentibus concionibus causam & meritum sibi, applicationem vero fidei Salvatorem tribuisse; sed illis, qui Evangelio iam crediderant, & fide beatitudinem acceperant, tradidisse declarationem, quæ sit ratio & conditio beatitudinis in hac vita, eorumque, qui participes huius beatitudinis esse desiderent. Per quæ sane antea dicta mirum quantum illustrantur ac confirmantur.

§. 20. Ad argumentum Pontificiorum, quod pro sua sententia afferunt, particulam *ὅτι*, imprimis urgentes, ita respondent notstrati Theologi, ut voculam hanc non *αἰτιολογικὴν*, & causalem, sed *συλλογικὴν* & rationativam ac causam conclusionis, non autem causam rei, esse dicant; Notam tantummodo mediæ termini, qui est causa conclusionis. Is autem non semper sumitur a causa rei, sed quandoque ab effectu, qui illam notificat.

§. 21. Atque hæc explicatio ita concinna, perspicua atque solida est, ut multi ex ipsis adversariis non concedere eam tantum, sed defendere quoque ac confirmare nobiscum cogantur. Hinc, quando Bellarm. Lib. IV. de penitentia cap. VIII. & Maldon. Comment. in Lucæ VII. 47. dilectionem mulieris illius peccatricis causam remissionis peccatorum esse volunt, ideo, quia particula *ὅτι* hic habeatur, hanc autem particulam causalem esse dicunt; a socienno suo Michael. Ghislerio, Clerico Romano in Expos. Cant. III. n. p. 472. totidem verbis refutantur; Apud Jesaiam inquit Dominus, cap. XLIX, 3. Servus meus es tu Israël, quia, id est, idcirco in te gloriabor, juxta *ἄβραῆν* illam frequenter in Sacris paginis observatam; quæ particula quia usurpatur pro alia particula ideo, & non tam causam significat, quam effectum, ut apud eundem Prophetam. Maldonato ipsum Maldonatum opponimus, qui in Job. VIII, 29. ita scribit: Huiusmodi particula quia & quoniam non causam aliquando, sed effectum significare, innumera vel in solis Psalmis exempla sunt. Consentit Salmero, Pontificius cætera durissimus, Tom. I. Opp. 327. totamque rem insuper loco illo valde veritate Luc. VII. orthodoxe sane illustrat. Quia, quoniam, inquit, conjunctiones sunt, causam reddentes vel a priori, ut frequenter faciunt; vel a posteriori, juxta illud: dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Probat remissionem peccatorum factam ab effectu dilectionis magnæ. Simile est illud Psalm. XVII, 6. Ego clamavi, quoniam ex-

audi-

audivisti me, id est, effectus prompta exauditionis tue reddidit me clamor in precibus non dubitantem de exauditione. Egregia sane veritatis confessio, quam veritas adversario extorsit. Possemus exempla ejusmodi plura afferre, nisi litandum brevitati foret. Unicum tamen adhuc Didacum Stellam in *Luc. loc. cit.* audire placet. Verba ejus notatu digna sunt, quæ intacta in Didaci Commentariis reliquerunt Inquisitores, postquam eos expurgassent. *Quando dicit Christus, ita loquitur, dimissa sunt ei peccata multa, ideoque dilexit multum, in Græco etiam Originali habetur ὅτι, quæ dictio significat quæm obrem. Sensus igitur est: Dimissa sunt ei peccata multa, quæm obrem dilexit multum. Et juxta hunc sensum, quem verum esse censeo, nulla manet difficultas, nec est aliqua ratio dubitandi.*

§. 22. Responsum itaque ad Pontificiorum objectionem circa particulam ὅτι ipsi nobis Pontificii suppeditarunt, ut adeo inoffenso pede ad alia progredi jam liceret, nisi volupe adhuc esset, ex iis, quæ allata superius sunt, rem ulterius declarare atque deducere. Pugnativimus hætenus una cum orthodoxis Theologis, immo ipsis Romanensibus, quos hac quidem in parte ὁμοψύχως nobis deprehendimus pro sensu particulæ ὅτι *consecutivo & ratiocinativo* ea fini, ut pacificendi studio & aliis operibus omne meritum detraheretur & denegaretur. Verumenimvero nihil subesse causam putamus, cur hanc voculam hic non etiam *αιτιολογηθῆναι* atque causalem esse dicamus; Ita quidem, ut Pontificiorum errori de Bonorum Operum meritis neutiquam adstipulemur, utpote jam dudum a Theologis nostris explosa. Libi tamen bene notari velimus, quæ circa expositionem vocum *καλῶς* & *εὐχρηστοῦς* adducta supra fuere. Quando enim 1.) prior illa vox non ipsam vitam æternam, sed rem bonam ac Deo placentem innuit, a B. Luthero hæc inde per vocabulum *wohl* expressam, *wohl* Deum; uti §. 11. ex B. Gerhardo annotavimus; Nihil ob stare videtur, quin vocula ὅτι significatum hæc causalem obtineat, cum vel centena loca de gratiosa Bonorum operum remuneratione in Scripturis habeamus. Est quippe pietas, cujus magna pars pacis studium est, ad omnia utilis, ut quæ promissiones habeat vite presentis ac futuræ, 2. *Tim. IV, 8. Confer Rom. II. v. 6. 7. Hebr. VI, 10.* Omittimus alia, quia de hoc nemo dubitat. Et hoc unum est, quod hic notamus.

§. 23. Observamus porro 2.) vel ideo voculam ὅτι causalem hic

hic accipiendam esse, quia causa ostenditur, & ratio τῆς παναγιότητος & antea prædicata & pacificis tributa redditur; Cur enim αἱ εἰρηνοποιεῖς sunt μωδικοί atque beati? Ideo, ὅτι, quia sunt filii DEI. Quomodo itaque DEus, piorum, pacificorum Pater, beatus est, solus & summe beatus, vid. supra §. 6. Ita, & ideo patet, filii DEI oportet beati sint. Addimus 3.) etiam ex consideratione vocis εἰρηνοποιεῖς, causalem τῶν ὄντων significatum patescere. Est enim, uti prolixè monstravimus, vocabulum prægnantissimum, & multa sub suo ambitu complectitur. Mittimus jam alias notiones superius excussas; hoc tantum jam pensitari rogamus; Istud pacificandi studium ad DEum ipsum sese extendere. Pertinent quippe ad εἰρηνοποιεῖς etiam illi, qui paciscuntur inter se & DEum. Imo in prima & potissima Pacificentium classe hi collocabantur. Quomodo vero pacem inter DEum & nos peccatores facimus, nisi per veram poenitentiam? cujus potior pars est fides in Pacis Principem IESUM Christum, qua pacem ipsius merito partam fiducialiter nobis applicamus. Hac autem fide filii DEI dicimur & confitemur: Omnes enim filii DEI estis, dicit τῆς πίστεως, per fidem in Christo Jesu Gal. III, 26. Quoi quos receperunt eam, (fide) dedit eam, ut fieret eis filios DEI fieri, τοῖς πιστεύουσιν, videlicet hiis, qui credidissent in Nomen ipsius, Job. I, 12. Quæ omnia satis evincunt, non αἰτιολογικὴν tantum & rationalem, sed αἰτιολογικὴν insuper & causalem voculam ὄντων hoc in loco significatum obtinere. Et hæc impræsentiarum de hac particula pro instituti ratione sufficiant. Jam ad sequentia progredimur; cum nunc in ordine succedit Pronomen demonstrativum.

§. 24. Αὐτοί, ἑστί (Respicit hoc ipso Salvator ad proxime antecedens nomen εἰρηνοποιεῖς, quorum beatitudinem jam porro explicat, & quodnam illius fundamentum sit, graphico describit. Ubi simul observamus, non sine insigni emphasi pronomen hoc esse positum, & notabile sermonis pondus inferre; ut subeat in mentem mirari, cur in omnibus propemodum Versionibus, exceptis illis, quæ Erasmus & Beza Autore agnoscunt, negligatur & plane omittatur. Cum vox ista hoc quidem in loco habeat vim (1) δείκτικὴν, & ostensivam, ubi indice quasi digito Christus monstrare illos voluit, quorum fidem atque pietatem, cumque ea connexam salutem ac beatitudinem tam egregius laudibus extulerit: (2) ἀποδεικτικὴν, seu demonstrativam, quia proprium & genuinum τῆς παναγιότητος & subjectum hoc

hoc pronomine αὐτοὶ indicavit: (3) ἐκφανητοῦν, quia per notabilem exclamationem, aperto ore (ἀνοιχθῆς τὸ στόμα αὐτοῦ v. præc. 2.) ac elevata quasi voce dictum hoc protulit, & pronomē αὐτοὶ, tanquam exclamandi particulam, adhibuit: (4) ἀντιθετικὴν seu oppositivam; siquidem Christus eo ipso luculentum discrimen inter pacificos & pacis olores hominesque rixosos facit, hosq; illis apertissime opponit; Cum Pacifici beati & filii DEi; Contentiosi & pacis turbatores infelices filiiq; Diaboli, cujus genium exacte exprimunt, dicantur aut dici mereantur. Quemadmodum frequens in Scripturis ista filiorum DEi & filiorum Satanæ oppositio. In hoc manifesti sunt filii DEi inquit Johanne & filii Diaboli: Omnis, qui non facit justitiam, non est ex DEo, & qui non diligit fratrem suum, 1. Epist. III, 10. Aperte hoc discrimen ipse Servator innuit, quando incredulis Judæis de Patre suo Abrahamo subinde gloriantibus os ita obturat: Vos, quod vidistis apud Patrem vestrum, facitis. Si filii Abrahæ essetis, opera Abrahæ faceretis. Vos facitis opera patris vestri. Et cum regerent illi: Nos et stupro non sumus nati: Num Patrem habemus DEum; Christus respondet: Si DEus Pater vester esset, diligeretis utique me. Ego enim ex DEo processi & veni, Sic. Vos ex patre Diabolo estis, & desiderii patris vestri vultis obsequi, Job. VIII, 38. 39. 41. 42. 44. Quemadmodum itaque omnes impii ac infideles, spectati rixosi & pacis impatientes sunt filii Diaboli: Qui rixas & contentiones de industria serunt, hoc ipso ostendant, se esse filios Satanæ, qui dissidiorum Autor est, Luc. Osiand. in b. l. ita ex adverso pacifici sunt DEi filii, de quo ipsorum nomine & encomio jam ulterius nobis erit dispiciendum. Sequitur enim in Textu vox.

§. 25. ἱοὶ, filii) Nomen ἱοὶ, perinde ut Hebraicum יָהוּ la-  
tissime patet, & uti Ravanellus Bibl. Sacr. Part. I. f. m. 1002. loquitur,  
ubi etiam prolixè varias vocis significationes recenset, πολὺ σφωδρῶς  
dicitur. Nobis jam sufficiet, paucula hic excerptisse, quæ ad negoti-  
um præsens vel maxime facere videntur. Sumitur filius vel generali-  
ter, vel specialiter: vel proprie, vel improprie: Exempla jam, ne nimis  
prolixi simus, asserre supersedemus. Videatur Autor citatus una cum  
Flacio in Clave Part. I. f. 330. seqq. & aliis. Hoc tantum annotasse for-  
san a scopo nostro non erit alienum, ad impropriam vocis hujus ac-  
ceptionem eos etiam pertinere, qui filii ideo dicuntur, quia mores a-  
lii ejus referunt, eumq; imitantur, uti filii DEi nuncupantur pii, non

tantum ratione spiritualis regenerationis, de qua mox; Sed & imitationis, quia student DEum imitari in sanctitate. Ita filii Diaboli (*υιοι διαβόλου*, vel, *τα τέκνα διαβόλου*,) vocantur impii, *Aflor. XIII, 19. 1. Job. III, 10. υιοι Ἰσραὴλ πονηρῶν*, filii mali illius, *Matth. XIII, 38*. Atque ad eum *ἐκ τῆς διαβόλου*, ex Diavolo; *ἐκ τῆς πονηρῶν*, ex malo illo, *1. Job. III, 8. 12*. esse dicuntur, qui patrem Diabolum agnoscant, *Job. VIII, 41. 44. conf. §. preced.* non substantiæ, sed qualitatibus corruptæ & imitationis respectu. Quomodo Polycarpus vocavit Marcionem Hæresiarcham, *Ἰὸν πρωτόγονον Ἰσραὴλ*, filium primogenitum Satana, apud Irenæum *Lib. III. cap. III.* & ex Irenæo, apud Eusebium *Histor. Eccl. Lib. IV. cap. XIII.* Et Pharisei ac Sadducei dicuntur progenies viperarum, *Matth. III, 7*. Atque hæc omnia more Hebræorum, qui ejusmodi conformationem & similitudinem per nomen filii efferre solent. Agnovit hunc Hebraismum B. Althoferus *l. c.* qui præter a nobis jam adducta loca provocat ad *Matth. V, 44. 45.* de quo in seqq. plur. Hoc sensu Prophetæ dicunt, Judæos esse natos ex *Canaanis, Hemorais, Heitis, Ezech. XVI, 3, &c.* Similis locutio est, cum peccatorum in populo Dei vitis ac vinum ex *Sodoma & Gomorrha* petatum esse dicitur; id est, eadem cum illis nativa malitia ac perversitate eos deformatos & subversos esse *Deut. XXXII, 23*. Non aliena ab hac observatione est glossa Lyranus in *b. l.* qui etiam filios DEI dici Pacificos putat, ideo, quia Patrem coelestem imitentur. *Filiatio enim*, inquit, *importat assimilationem ad DEum; Inde, qui sunt pacifici, recte filii DEI vocabuntur.* Eadem mens quoque est Menochii in *b. l. Filii DEI vocabuntur, dicit, i. e. DEo similes erunt, qui est DEus Pacis.*

§. 26. Hanc imitationem & sequelam hic Salvatorem præcipue respexisse, quando *pacifcos filios DEI* esse atque dici pronunciat, vero admodum simile videtur. Quamquam & alias hujus appellationis rationes non plane sequelstrandas esse arbitremur. Dicuntur itaque *pacifici* atque omnes pii, *filii, filii DEI*; (Hic enim necesse habemus, ut nonnulla, quæ ad sequens vocabulum ἱεσῶν pertinent, prælibemus;) non quidem proprie; Quæ ratione sola *secunda Sacrosanctæ Trinitatis persona*, nempe Dominus noster Jesus Christus, æternus æterni Patris Filius, Patri consubstantialis & æqualis in carne manifestandus, & hodie manifestatus, hujus appellationis gloria gaudet, *Pf. II, 7. Prov. XXX, 4. Marc. I, 1. V, 6. Luc. 1, 35. &c.* Dicitur ideo non tantum



tum Filius DEi; sed *Filius naturalis*, *Joh. V. 18.* ὁ υἱὸς ὁ μονογενὴς; *Filius Ungentus*, *Joh. I. 14. III. 16. 18.* υἱὸς ἰδιος proprius DEi *Filius*, *Rom. VIII. 32.* ὁ υἱὸς ὁ ἀγαπητὸς, *Filius ille dilectus*, *Matth. III. 17. XVII. 5.* & c. υἱὸς τῆς ἀγάπης αὐτοῦ, *Filius dilectionis Patris*, *Col. I. 13.* *Filius*, *qui est in sinu Patris*, *Joh. I. 18.* ὁ υἱὸς τῆς Θεῆς τῆς ζωῆς; *Ille Filius DEi viventis*, *Matth. XVI. 16.* ἀπαύγασμα τῆς δόξης, καὶ χαρακτῆρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ, *effulgentia gloria & character Persona Patris*, *Hebr. I. 3.* Ille demum verus est & proprie dictus DEi Filius, in cujus Nominis consortium neminem ex creaturis admittit: Sed quando Pacifici Filii DEi dicuntur, *improprie* id fit & κατ' ἀναλογίαν; Non quidem *in sensu generali* tantummodo, & *ratione creationis*: uti hæc appellatio omnibus hominibus competit, utpote qui omnes a DEO, & ad imaginem DEi creati sunt. Ita Filius DEi vocatur *Adam*, videlicet non genitus, sed factus & creatus, *Luc. III. 38.* Ita populi Israelitici Pater DEus dicitur, ideo, quia fecit & creavit illum, *Deut. XXXII. 6.* Sed & *in sensu speciali*, *ratione sanctificationis, vocationis, ad regnum gratiæ & gloriæ, Sacramentalis confederationis*, quomodo Ecclesiæ visibiles membra filii DEi appellantur. Hac ratione *filius DEi primogenitus Israël* dicebatur, i. e. populus inter omnes alios adoptatus & in peculium DEi electus, DEOq; impense charus, *Exod. IV. 22. 23.* collat. *Deut. XIV. 2.* Eodemque elogio Ephraim insignitur, *Jerem. XXXI. 9.* Hinc est, quod Judæi subinde filii DEi dicuntur, hisque, qui extra Ecclesiam constituti sunt, opponuntur, *Jes. I. 2. Matth. XV. 26.* omitto alia loca.

§. 27. Quia autem inter illos, qui veram religionem profitentur, multi dantur hypocritæ & impii, qui dicuntur *suppositivi*, & non filii, *ὁ υἱὸς καὶ ὁ υἱὸς*, *Hebr. XII. 8.* inde fit, ut peculiariter filii DEi dicantur sola vera & viva Ecclesiæ membra, plii & fideles, qui non tantum sunt in Ecclesia, sed & de Ecclesia, & vera ac salifica fide gaudent, qua, ceu unico ex parte nostri medio, filii DEi efficiuntur, confer. quæ supra §. 23. dicta sunt. Et isti quidem υἱὸς τῆς Θεῆς dicuntur *ratione spiritualis regenerationis & in filios adoptionis*, Patrisque sui *Cælestis imitationis* / *Regeniti non ex semine mortali, sed ex immortalis, per sermonem viventis DEi, & manentis in æternis*, i. *Per. I. 23.* Hic enim *destinata voluntate* progeniunt nos *sermone veritatis*, ut *estimus primitiæ quædam suarum creaturarum*, *Jac. I. 18.* *ratione adoptio-*

ptio-

pt onis exaudienda sunt dicta sequentia: *Adoptavit nos in filios per Jesum Christum in sese, juxta beneplacitum voluntatis suae, Eph. I. 5.* Hinc spiritus testatur una cum Spiritu nostro, quod simus filii DEI, *Rom. VIII, 16.* Et si vera in fide constantia accedit, filii DEI tandem dicimur ratione *salvationis & glorificationis*, ubi beati longe perfectiore modo, quam in hac vita, qua carnis reliquias circumferunt, filii DEI erunt, utpote in Coelis apud DEum tanquam Patrem degentes & conspectu ac gloria ejus aeternam fruentes, *equales enim Angelis erunt, καὶ οἶοι ἴσθαι, Ἦς ἀναστάσεως οἶοι ὄντες, Luc. XX, 36.* Et hoc sensu pii dicuntur *expectare τὴν υἰοθεσίαν, Rom. VIII, 23 τὴν ἀποκάλυψιν τῶν υἰῶν τῶ Θεῶ, uti vers. preced. 19.* explicatur. Quemadmodum autem frugi filii pii parentis exemplum imitantur, ejusque vestigiis insistant; *πρὸς σῆκει γὰρ, vel Thucydide censente, τὰς πατέρων ἀγαθῶν παιδας περᾶσαι, μὴ αἰσχροναίαις προσηκούσας ἀρεταίς:* Ita ii demum inter Christianos veros ac genuinos se DEI filios approbant, qui sanctissimi in Coelis Patris sui virtutes, quantum quidem in tanta imperfectione possibile, referunt, & ita lucem suam coram hominibus lucere faciunt, *ut videant bona eorum opera, & glorificent Patrem nostrum, qui est in caelis, Matth. V, 16.* Respexisse huc D. Apostolum Petrum deprehendimus, qui per integrum prioris Epistole cap. I. imo & seqq. ex hoc fonte derivare vitae pia & sanctae rivulos laborat: *Tanquam filii obedientes non accommodetis vos pristinis concupiscentiis, &c. Sed quemadmodum is, qui vos vocavit, Sanctus est: ita ipsi quoque Sancti in omni conversatione reddamini. Et si Patrem invocatis &c.* Superfedeo, quae huc pertinent, omnia allegare, sunt enim plusecula, quae videri l. c. possunt.

§. 28. Haec Patris Coelestis imitatio licet universum quidem Christianissimi nostri cursum respiciat, quae de causa etiam non tantum *ὁμοίωμας* Christus nos esse jubet, *sicut & Pater noster misericors est, Luc. VI, 36.* sed & *τελειός, perfectos*, & in omni virtutum genere Patrem caelestem imitari, *Matth. V, 48.* ubi hanc rationem adjicit: *ὥσπερ ὁ Πατήρ ἡμῶν ἐν τοῖς ἔθρονοις ἰελεῖός ἐστι;* Inficiari tamen neutiquam possumus, illam hic imitationem a nobis praecipue requiri, quae pacem spectet, pacisque studium & desiderium. Patet id clarissime ex iis, quae sub finem *capitis* sequuntur. Postquam enim Salvator ad *ἐχθροφίλησιν* & pacem cum ipso inimico servandam, graviter adhor-

hortatus fuisset, tandem subjicit: ὅπως γένηται υἱοῦ τῆς Πάτρός ὡμῶν  
 τῆ ἐν ἑρανοῖς, v. 45. Confer etiam *Luc. VI, 27. seqq.* Uti ergo DEus,  
 DEus Pacis est, pacisque Autor, *Rom. XV, 13.* unde *Pax DEi* appella-  
 tur *Fhil. IV, 7.* vid. *Proem. p. 1. §. 1.* Ita filios DEi Pacificos esse oportet,  
 & hac etiam in parte Patrem suum imitari. *In pace perfectio est,*  
 (ita in Textum nostrum commentatur Augustin. *Lib. I. de Sermonibus*  
*Domini in monte Cap. II. Tom. IV. Opp. fol. 293.*) ubi nihil repugnat:  
*Et ideo filii DEi pacifici, quoniam nihil in istis resistit DEo, & utriusque*  
*filii similitudinem Patris habere debent.* Quo insigni Patris Augustissimi  
 mi dicto considerationem vocis υἱός, & quatenus hæc quidem de filio  
 DEi dicitur, obfirmamus. Possemus hinc statim ad ultimum aureoli  
 nostri verbum transire, cum de voce Θεός in describendis iis, qui υἱοῖ  
 τῆ Θεῶν audiunt, non potuerit non aliqualis simul fuscipi tractatio, ne  
 tamen omisisse aliquid videamur, methodi nostræ tenaces, etiam circa  
 hos vocabulum peculiariter quædam, paucissima licet, monenda du-  
 ximus. Sequitur itaque in Textu.

§. 29. Θεῶν, DEi) De Etymologia atque origine hujus vocis  
 ut solliciti admodum sumus, necesse non est. Quæcunque dici de eo  
 possunt, fuscè pariter & accurate tradit B. Calov. in *Theol. nat. & revel.*  
*S. 173. seqq.* & Tom. II. *Syst. c. II. Sect. I. p. 125. seqq.* Item Crauf. *Phor-*  
*phor. in voce Θεός.* Conferri insuper, si placet, possunt B. Dn. D. Al-  
 berti *Disput. in Job. XVI, 2. 3. de vana persecutorum vera Ecclesie per-*  
*suasione, §. 11.* B. D. Beier. *Radix immortalitatis ex Job. XVII, 3. p. 13.*  
 & qui primo loco erat ponendus, B. Feurborn. *Opp. Theol. p. 737. & c.*  
 Nos, quæ prolixè ab his & aliis Autoribus tradita sunt, in summam  
 contrahimus. Accipitur vocabulum Θεός tribus præcipue modis in S.  
 literis; 1.) *abusive, καὶ ἄ ψευδός*, pro eo, quod loco DEi colitur; pro  
 idolis, seu diis falsis, quæ, uti Chrysostr. in *Psalms. L.* observat, non  
 honoris respectu, neque ex gratia sic nominantur, sed propter amorem  
 seductorū eos ita appellantium. Hoc sensu tribuitur idolo qui *πεμβαν*  
*Ag. VII. 43.* (de quo vid. B. Jo. Gerh. *Com. in b. l.*) imo ipsi Diaboli, qui  
 ὁ Θεός τῆ αἰώνος τῆ τῆ, 2. *Cor. IV, 4.* vocatur; Item τῆ καίλια Epicureo-  
 rum, *Phil. III. 19. 2.* Improperie, καὶ ἀναλογίαν. Et sic Angelus dicitur,  
*Pf. VIII, 7.* coll. *Hebr. II, 7. De Regibus Principibusq; mundanis, Gen.*  
*VI, 2. Job. X, 34.* coll. *Pf. LXXXII, 7.* quia nempe ipsis judicandi of-  
 ficiū a DEo est commissum, quod propria soli DEo, qui vere Ju-  
 dex

dex est, competit: De hominibus piis. Sic Athan. de Definition. Tom. II. f. 44. inquit: *χαριστι καὶ θεοει λέγονται θεοὶ καὶ οὐ δικαιοί*, i. e. gratia & adoptione appellantur Dii etiam iusti. Quia enim ad imaginem DEI sint creati, & ipsius bonitatis participes facti, ideo quoque nominis confortes factos esse putat Gregor. Nyssen. Orat. XII. contra Eunomium Tom. II. f. 722. 3.) *Proprie, καὶ ἕσταιν*, secundum naturam & essentiam vere Divinam. Et si Numen illud aeternum atque immortale, DEUM essentia unum, & Personis Trinum, rerum omnium Conditorum, Gubernatorem, & Conservatorem denotat, qui est *Φύσει καὶ ἕσται θεός*, omnibusque iis, qui hoc sensu Dii non sunt, opponitur, Gal. IV, 8. Ac ista quidem ratione sumitur *vel ἕστωδώς*, essentialiter, atque *ἀπλῶς absolute & simpliciter*, quatenus est tribus personis Divinis communis, ut Job. IV, 24. Hinc Gregor. Naz. Orat. XXXVI. f. 386. *ὁ ὢν, καὶ ὁ θεός τῆς ἑστίας ὀνάμαστα*. Vid. Damasc. Lib. III. Orthod. fid. cap. XI. p. 27. Greg. Nyss. Tractat. adv. Gracos statim in principio, Tom. II. p. 82. *Vel ὑποστατικώς*, personaliter, quatenus determinate, & nominatim unam aliquam ex tribus personis Divinis indigitat. Sic de DEO Patre, Job. III, 16. De Filio, secundum divinam naturam, Job. I, 1. secundum naturam humanam, Act. XX, 28. De Spiritu S. cap. V, 4. usurpatur.

§. 30. Qualem vero in praesente Dictione nostro significatum vox *θεός* obtineat, patere cuilibet arbitramur. De nullo enim alio heic Salvatori sermo est, nisi de unico, vero atque aeterno DEO, *τῷ μακαρίῳ*, illo solo beato, 1. Tim. IV, 10. qui solus largiri pacificis *τῶν μακαριότητων* potest, vid. *supr.* §. 6. p. 6. 7. piorumque Pater sapissime dicitur, quos in filios gratiose adoptat, & ex semine Verbi sui regenerat. Conf. §. 26. p. 24. 25. Verbo: Ille est, *qui solem suum exoriri sinit super malos ac bonos, & pluviam mittit super justos & injustos*; Hujus enim filii sunt pacifici, *ὅσιν* nempe *τῷ Πατρὸς ἡμῶν τῷ ἐν ἑβραϊοῖς*, ita ipso Christo explicante, *Matth. V, 45*. Ex quo simul & hoc elucescit, vocem DEI heic non sumi *ὑποστατικώς* pro certa quadam SS. Trinitatis Persona; Sed *ἕστωδώς*, pro essentia Divina, quæ toti SS. DEitati communis est; Facit enim huc nota in Schola Theologorum regula: *Quando Deus dicitur Pater respectu Christi, tanquam unigeniti DEI Filii, tunc vocabulum Deus personaliter sumitur, pro prima tantum DEitatis persona, quæ ex essentia sua Filium ab aeterno genuit, Ps. II, 7. Quod si verò in relatione ad homines aut alias creaturas, Patris no-*

men ipsi tribuitur, vox tunc DEi supponit essentialiter, ita ut singula SS. Trinitatis persona intelligantur, quæ hic Patris nomine insigniuntur. Respicere huc pures Salvatore in *Oratione Dominica*, quando *Patrem nostrum*, qui est in caelis, nos adorare & invocare jubet, *Matth. VI. 9. Tu Pater noster es*, Ecclesia suspirat: *Tu Jehovah, Pater noster, Jesh. LXIV. 16. 17.* Uti ergo Pater omnium credentium DEus est in essentia unus, & in Personis Trinus; Ita idem de Pacificis *h. l.* qui filii DEi dicuntur, erit statuendum.

§. 31. Antequam hinc abeamus, unicum adhuc circa articulum in voce Θεός omissum, erat annotandum. Notæ sunt Sociniano- rum, summæ DEitatis Christi hostium, de Nomine Θεός, in ipsorum quidem cerebro natæ regulæ: *Vox Θεός sine articulo DEum nuncupativum, cum articulo ubique summum DEum notat.* Enjedin. *Explicat. Locor. Script. p. 160.* Conf. Slichting, *contra B. Meisn. de Trinit. p. 145.* & Crell. *Lib. DEo & Attribut. c. XIII.* qui tamen sibi ipsi sapius contradicit. Item: *Quando Θεός est subiectum, summus DEus intelligitur.* Socin. *contra Wieck. respons. ad cap. IX. fol. 375.* Crell. *l. c. fol. 96. & c.* Quæ a Socinistis positæ regulæ si veræ essent, certe in Dicto nostro non verus, sed nuncupativus tantum Deus foret intelligendus; cum articulus sit omisus, vox Θεός insuper non ad subiectum, sed ad propositionis prædicatum pertineat. Verumenimvero in cerebro Antitrinitariorum has regulas esse natas, & omni fundamento Scripturis innixæ destitui, jam dum observavimus. Quod enim hoc nomen soli vero Deo proprie competat, & aliquando etiam absque articulo, loquæ prædicati positum, summum Deum denotet, Dn. D. Scherzerg *in Colleg. Anti-Soc. Disp. III. p. 35. seqq.* solide evicit. Vide præterea contra has Socinianorum Regulas B. Botfacc. *Dedicat. Anti-Crell. lit. c. 3. seq.* & *Anti-Crellii Ejusd. fol. 504. 533.* Certe Fabricius *Avaxor. Ep. de Incarnat. fol. 18.* ultra CC. loca annotavit, quibus Θεός absque articulo summum Deum designat. Et hoc quidem, si vel maxime, quæ dicta sunt, non velimus attendere, ipse noster concipiendi modus loquitur. Voce namque Dei percepta, id, quod est omnium Optimum ac perfectissimum, quodque omnia alia fecit, conservat & gubernat, mente statim concipimus. Perinde, ut nomine hominis audito, substantiam humanam illico intelligimus. Sive itaque absit, sive adsit articulus, (otiosum istud loquacissimæ gentis instrumentum, nisi sub-

tilissimus Scaliger loqui amat, ) semper suppositum, naturam sive essentiam Divinam habens, denotat. Ut tamen istos summa JBtu nostri Divinitatis hostes suo ipsorummet gaudio jugulemus, ex concessis & positis, ac nobis præscriptis ab ipsimet regulis invictissime contra eosdem ita argumentamur: De quocunque vox Θεός, & cum articulo, & subjeñi loco, & subjective in prædicato usurpatur, ille citra controversiam est summus Deus. Atque de Christo vox Θεός, & cum articulo, & subjeñi loco, & subjective in prædicato usurpatur, vid. 1. Cor. II, 10. coll. 2. Tim. I, 10. & Catech. Racov. c. VI item Act. XX, 28. Job. XX, 28. 1. Tim. III, 16. Tit. II, 13. Ergo. Id quod loco clausula heic Sociniani decoquendū. relinqvimus. Missis itaque his jam ad finem properamus, ultimum aureoli nostri verbum pensitantes, quod est.

§. 32. Κληθῆσονται, vocabuntur. Duplicem hic Hebraismū occurrere, supra §. 25. p. 27. monebat B. Althofer. Harmon. Evange-  
 Mt. emedullata, p. 328. De priori in verbo filii jam in antecedentibus vidimus. Jam succedit alter in præfenti voce κληθῆσονται, vocabuntur, quod idem significat, ac erunt. Quamquam, quod heic obiter noto, Drusus in Præteritis in 1. Job. III, 1. hoc non tantum ex Hebræorum, sed ex ipsa Græcorum consuetudine fieri & in usu esse demonstrat, & exempli loco præter Matb. XXI, 14. Luc. I, 35. 67. Rom. VII, 3. etiam præsentem Textum nostrū adducit. B. noster Gerhardus Tom. VI. LL. Theol. de Minister. Eccl. f. m. 30. Deum aliquid vocare dicit (1.) per creationem, quæ vocatio DEi tam efficax est, ut per eam existere incipiant, quæ antea non extiterunt, uti Rom. IV, 17. Deus vivificare dicitur mortuos, & vocare ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt (2.) Per manifestationem, quando quippiam, quod antea nondum erat publice notum ac perspectum, manifestatur, tunc, inquit, Scriptura id appellat vocationem; & exempli causa Dictum nostrum ex Matb. V, 9. allegat: Beati Pacifici, quoniam Filii Dei vocabuntur, id est, addidit, manifestabuntur & agnoscentur ex studio pacis pro Filiis Dei. Magnus Chemnitius, cujus vestigia multis in locis pressissime legit B. Gerhardus, in eundem ferme sensum hæc verba explicat, nisi quod ulterius progreditur, & hanc manifestationem filiorum Dei non ad hanc tantum vitam restringit, sed futuram quoque & æternam simul completitur; Filii Dei vocabuntur, inquit, hoc est censentur & celebrabuntur, tanquam Filii Dei, imitatores Patris celestis, ac ingenium ejus referentes; Sicuti postea: Diligite inimicos, ut filii sitis Patris celestis. Et

*in hac quidem vita habentur Pacifici pro Filiis Dei, non quidem coram mundo, sed apud Deū & apud pios. Sed in altera vita vocabuntur hoc est, publicè manifestabuntur, habebuntur & celebrabuntur pro Filiis Dei coram toto mundo, & præcipue coram omnibus sanctis. Harm. Evangel. loc. cit. p. m. 307. Eandem explicationem etiam invenimus in Annotationibus Posthumis B. Gerhard. Not. ad Cap. V. Matth. p. 259. Vocabuntur, id est, ab omnibus agnoscentur, videlicet in retributione futurorum. Non dixit, erunt, quia jam nunc sunt Filii Dei, sed nondum apparuit, quid futuri sint, 1. Job. III, 2. Agnoscit itaque B. Vir etiam hunc Hebraismum; Addit enim: Vocabuntur, id est, erunt; Verbum וקראו Hebrais quoque significat aliquid ita vocari, ut hoc nomine ab omnibus celebretur. Confer Beza Annotat. in N. T. in h. l. nec non Imman. Tremell. Not. in Vers. Syriac. N. T. h. l. Vocabuntur; inquit, id est, a Deo pro filiis agnoscentur, ideo non vano titulo filii dicentur, sed reipsa erunt, quod vocabuntur. Et ita intelligendum paulo infra v. 19. Minimus vocabitur; Et paulo post: Magnus vocabitur. Fundatur hæc expositio in illo Philologorum Canone, secundum quem voces verbales pro realibus ponuntur, ita ut dictum pro facto, & vocare seu appellare pro facere, vocari vero pro fieri seu esse sumatur, quem egregie A. Glass. Philol. S. Lib. III. Tract. III. n. XVI. p. 575. explicat, & inter exempla, quæ sub nostro verbo וקראו, καλεῖν, vocare seu appellare, adducit ad dictum nostrum quoque provocat, idque cum mox sequente versu 19. hujus capituli, item Luc. I. 76. 1. Job. III, 1. confert, & ex profanis etiam exemplum locutionis hujus allegat. Ubi obiter observandum, secundum E. Glassium eam, quam supra ex B. Gerhardi Locis, priori loco adduximus, vocis καλεῖν explicationem, huic Canoni adeo commode applicari non posse. Postquam enim datum Canonem exemplis satis illustrasset, subjicit tandem: Referunt huc, cum Deus dicitur vocare aliquid, hoc est, creare seu efficere, Psalm. CV, 16. Et vocavit famem super terram, hoc est, effecit. Sic 2. Reg. VIII, 1. Rom. IV, 17. Deus vocat ea, quæ non sunt, ut ea, quæ sunt, hoc est facit, quæ non sunt, ut sint. Sed in his vocare, non est appellare vel nominare, sed advocare, accersere. Quod ἀνθρωποπαδῶς de Deo Creatore dicitur, pro producere seu adducere.*

§. 33. Facere hic non possum, quin pulcherrimam observationem Celeberrimi Nostratis Theologi, Magnif. Dn. D. Joh. Olearii, Præceptoris ac Patroni mei astumatissimi, (quem Deus Ecclesiæ suæ diu-

BEATITUDO

32  
 diutissime superesse ex gratia concedat!) circa ea, quæ dicta modo  
 sunt, adjiciam, ubi non tantum, quod de noto Hebraismo jam mo-  
 nuimus, confirmat & ulterius declarat, sed rationem insuper crudi-  
 te ac venuste dat, unde originem ejusmodi locutiones traxerint. Cum  
 enim de Hebraïsmis Bibliicis N. T. acturus in egregia Dissertatione  
 Philologico-Theologica de Stylo Novi Testamenti Sect. Didact. membr.  
 II. p. 69. Aphorismum I. posuisset, & satis deduxisset, in stylo N. T.  
 regnare Idiotismum Hebræo-Biblicum; Tandem Aphor. IV. ostendit,  
 hanc dictionem Hebræo-Biblicam conspici inter alia in vocibus  
 græcis, non græcum, sed hebræum significatum vel usum, ex vocis  
 parallela ἀναλογίᾳ, habentibus. Hæc, inquit, fieri significationum in-  
 novatio solet ab his, qui scripta alicujus lingvæ in aliam transferenda  
 suscipiunt; In ea enim interpretatione, quæ verbum ex verbo  
 solet transferre semper phrasî ipsa illius sermonis, qui vertendus su-  
 mitur, in alio sermone representatur, sola verba commutantur, Hebraï-  
 ca v. g. Græcis, quæ nova accommodatur significatio; Cum igitur  
 N. T. scriptores ad Hebræum V. T. sermonem suam dictionem infle-  
 dentes, non solum ipsi Textum Hebræo-Biblicum in Græcum sermo-  
 nem alicubi transferant sed & LXX. Interpretes non raro sequantur;  
 Hinc nihil usitatus ipsis, quam ut Græcis vocabulis vulgari suo significa-  
 ta cum Hebræis jam congruentibus, ceteras quoque significationes ex u-  
 bertate ἐπιωνυμίας lingvæ Hebr. tribuant; Id quod non solum in nomi-  
 nibus, sed & verbis, imo particulis nonnullis animadvertere licet. In-  
 ter exempla, quibus hoc suum assertum probat, & fulissime illustrat,  
 expresse etiam refert nostrum, de quo jam agimus καλεῖσθαι, idque  
 ad modum Hebr. קָרָא pro *invocari, esse*, positum docet, atque Di-  
 cto nostro ex *Math. V. 9.* ut & *v. seq. 19.* item *Luc. I. 32.* declarat ac  
 confirmat. In quo Viri in hac, uti in omni literatura versatissimi judi-  
 cio hic acquiescimus, & finem Textus nostri explicationi, adeoque  
 toti Capiti I. Exegetico bono cum Deo imponimus.

CAP. II.

Porismaticum.

§. I.

Absolvimus jam gratia divina clementer adjuti analysin & exegē-  
 sim nostri aureoli; Ordo nunc & tempus requirit, ut quædam in-  
 de,



de, & palmaria quidem ac potissima deducamus & paucis explanem  
 Porismata. Quemadmodum *omnis Scriptura divinitus inspirata uti-*  
*lis est ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institu-*  
*tionem, quæ est in justitia, 2. Tim. III, 16. ut & ad consolationem & spei*  
*arqve patientia excitationem, Rom, XII, 4.* Hinc Augustinus eleganter  
 Tom. IX. *Tract. II. in 1. Epist. Job. f. 586.* inquit: *Omnia, quæ legun-*  
*tur in Scripturis Sanctis, ad instructionem & salutem nostram intente*  
*oportet audire. Maxime tamen memoria commendanda sunt, quæ ad-*  
*versus hereticos valent plurimum: quorum insidia infirmiores quosquæ*  
*& negligentiores circumvenire non cessant. Sit itaqve.*

## PORISMA I.

*Inestimabile DEi donum Pax est, adeoq; ab omnibus hominibus*  
*magni faciendum, desiderandum atqve expetendum.*

§. 2. Fluit hoc *confectarium* sua sponte e præmissis & enuclea-  
 to Textu. Quando enim *εισνομοις* & pacis studiosos beatos prædi-  
 cat Salvator, ipsisqve jus filiationis apud DEum pollicetur, haut ob-  
 scure innuit, quantum bonum atqve beneficium Divinum ipsa pax  
 fit, unde ista *μακαριότης* & felicitas partim originem ducat, partim  
 jam adesse cognoscat.

*Pax plenum virtutis opus, pax summa laborum.*

*Pax belli exacti pretium, pretiumq; pericli;*

*Sidera pace vigent; consistunt terra pace.*

*Nil placitum est sine pace DEO, nec munus ad aram.*

Ceterum non unius generis pax est, sed variæ dantur ejusdem spe-  
 cies, Per *την ἡρώδην* hic lubet procedere, omnia, quæ de pace dici pos-  
 sunt, in tres classes dispendentes. Est enim pax vel *temporalis, civilis*  
*& politica, vel Spirituális & Christiana, vel Religiosa & Ecclesiastica.*  
*Ille semper per se bona, utilis & jucunda, utpote pretiosissimus in*  
*terra thesaurus, omnibusqve bonis temporalibus longe antefendus.*  
*Pacem nihil dulcius, nihil salutaris. Tantum est pacis bonum, ait Augu-*  
*stin. Lib. XIX. de C. D. c. XI. ut etiã in rebus terrenis atqve mortalibus*  
*nihil gratius soleat audiri, nihil desiderabilius concupisci, nihil postremo*  
*possit melius inveniri. O veneranda pax, ita loquimur cum Aristopha-*  
 ne

BEATITUDO

31

ne, largitor omnium rerum! Quo te nomine appellabo? Et unde ver-  
 bu n satis magnificum accipiam? Sed ista ulterius prosequi, nostri in-  
 stituti, huiusque loci non est. Iis itaque relinquimus, ad quos pacis  
 huius terrestris & mundanae cura pertinet, quive hanc laudandam sibi  
 materiem sumpserit, quanyquam illa omnium, praestantissimorum etiã  
 Oratorum laudes atque encomia longe superet. *Ista*, pax nimirum  
 Spiritualis ac Christiana itidem semper optima, salutaris atque beata.  
 Bonum certe est ineffabile, & ingens Dei donum, maximumque bene-  
 ficium. Consistit enim, uti B. Balduin. in Rom. V, 1. eam describit, in  
 tranquillitate animi, nihil metuentis adversi, nullam vindictam aut con-  
 demnationem. Hinc dicitur pax Dei, omnem intellectum superans, cu-  
 stodians corda nostra & sensus nostros in Christo Iesu, Phil. IV, 7. Est  
 pax Christi, quam a pace mundi diversam esse docet Salvator, Job. XIV.  
 v. 27. & in se includit pacem sive reconciliationem hominis cum Deo:  
 Pacem hominis in se ipso, & pacem hominis cum proximo; E quibus po-  
 sterior semper e priore nascitur. Ex agnitione enim exhibita benignitatis  
 & gratia Dei, in ite.g. reconciliationis oritur tranquillitas mentis & con-  
 scientia, Rom. V, 1. hinc vero accedente gratia Spiritus Sancti consequitur  
 affectuum moderatio & debitus ordo, ne turbent, & mentem in diversa  
 abripiant. Et hac ubi fuerit, facile servatur mutua hominum inter se  
 concordia. Ita δ' Ερημοτοίος B. Georgius Calixtus, in Concord. Ev-  
 angel. Lib. VI. c. III. p. 339. ad Job. loc. cit. Hac denique, nempe pax  
 religionis & Ecclesiastica, non semper bona utilis ac honesta; si qui-  
 dem cum detrimento veritatis caelestis conjuncta sit, cui tanquam ba-  
 si & fundamento suo unico inniti vera & Deo placens pax debet. Di-  
 ligite veritatem & pacem, Divina Majestas inquit apud Prophetam,  
 Zach. VIII, 19. Vocabulum veritas designat religionis puritatem, Pax,  
 consensus ac concordia cupiditatem atque studium. Et haec duo con-  
 junctissima esse oportet, ut ista pax obtineatur atque servetur. Tol-  
 le pacis studium, & levisimae in rebus etiam fundamentum fidei non  
 attingentibus dissensiones vinculum mutuae charitatis disrumpent.  
 Tolle ex altera parte veritatem, non amplius erit pax Dei, sed ma-  
 lignantium consensus, ac contra Deum conspiratio. Veritate enim  
 contempta, inquit Bernhard. in Epistol. pacem appetentes & pacem  
 perdunt, & veritatem. Nemo itaque, uti Nazianz. in significatione loqui-  
 tur, omnem nos putet existimare pacem amplectendam: Etenim novum

ut dissensionem aliquando optimam: ita nocentissimam esse consensionem; sed eam, quæ honesta est; in re bona, & quæ in Deo coniungit. Veram ac laudabilem, & omnibus votis a piis quibuslibet in negotio religionis expetendam pacem melius describere non possumus, quam uti a Theologis pientissimis, Form. Concord. Autoribus descriptam invenimus in *Conclusionem omnium Articulorum*, ubi potiora veræ pacis & concordie requisita enumerant, talemque pacem requirunt, quæ (1) Deo honor suus illibatus servetur; (2) Veritati Evangelicæ nihil decedat; (3) nulli etiam falso dogmati locus concedatur; (4) peccatores ad seriam penitentiam invitentur; (5) perturbata mentes fide erigantur; (6) in obedientia nova confirmentur; (7) atque adeo per unicuique Christi meritum, iustitiam veram & salutem æternam consequantur. Hanc, inquam, concordiam ex animo diligimus, & toto pecciore amplectimur, eamque pro virili, (quantum quidem in nobis erit,) promoveri summo studio cupimus. *Form. Concord. p. m. 823.* Et juxta hanc pacis religiose descriptionem omnia consilia pacifica, num veram, an falsam & fucatam concordiam, præ se ferant ac intendant, uti inferius ex parte a nobis fiet, sunt examinanda. Huc autem antequam deveniamus, quædam de pacis studio in genere, paucissima licet, monenda nobis erunt. Esto itaque

## PORISMA II.

*Cum omnibus hominibus Pax sectanda atque servanda.*

§. 3. Hi enim illi sunt εἰρηνοιοί, quos in Textu superius a nobis enucleato beatus Christus prædicat, iisque filiationis penes Deum εὐδοκίαν ac honorem tribuit; Qui sunt pacis studiosi, pacem quærunt, optant, omnibus votis expotunt, & nulla re magis, quam pace & concordia delectantur. *Conf. cap. I. §. 12. seqq.* Et hoc quidem omnes, qui nomen Christo dedere, sibi dictum esse arbitrentur; Cuiuscunque tandem illi statû sint ac conditionis; Pacis sint amantes, & omnes rixandi & altercandi causas & occasiones vitent atque declinant. Idque non in vita tantum & conversatione civili & Christiana, sed in doctrinâ quoque ac ἀναγωγῆ Ecclesiastica. Spectat hoc cum primis ad Doctores & Ministros Ecclesiæ, quibus incumbit omni studio dissensiones cavere atque altercationes, seduloque prospicere, ut,

qui a veritatis tramite aberraverint, *in viam unitatis* & *pacis* & *in viam* reducantur, *Gal. VI. 1.* adeoque unitas Spiritus per pacis vinculum facta tecta conservetur, *Epbes. IV. 3.* Probare itaque nemo piorum rixosos illos & inquietos animos potest, qui quacumque, levissima etiam de causa pulverem statim excitant, & variorum criminum, schismatis, hæreseos, imputatione sæpenumero exacerbant, & longe obstinatioribus reddunt, quos, si Spiritu lenitatis admoniti fuissent, vel a nova & non probanda opinione, vel incommoda aliqua locutione retrahere facillimo negotio & avocare valuissent. Et ista quidem eo confidentius scribimus, quo certiores sumus, venerandum inter Theologos Seniores, cujus Sanctam canitiem Omnipotens tueatur atque conserve, Magnif. Dn. D. Lehmann. Patrem in Christo ad cineres honorandum, idem nobiscum sentire. Qui, fatendum est, inquit, in descripi. *Ministri Ecclesia Anglicanae Lutherana cap. II. §. 12.* nobis, minus in Ecclesia turbatum fore, si, quæ ita dicta sunt, probe observarentur, nec sæpenumero impacto illico crimine hæreseos & atrocibus injuriis exacerbarentur, qui errant. Forte saltem ac libentius respicerent, si suaviter in viam veritatis reducere ipsos anniteremur. Quæ de re infra Parisiæ. VIII. pluribus agendum nobis erit.

§. 4. Magistratus insuper Politicus etiam sic, quod agat, invenit. Cum enim Reges, Principes ac omnis in potestate constituti sint Nutritii Ecclesia, *Jes. XLIX. 23.* utique & hæc cura ad eos pertinet, ut otiosæ altercationes tollantur, & controversiæ fortean in Ecclesia ortæ via brevissima, & modo, quantum ejus quidem fieri potest, placidissimo componantur. Exemplo hic nobis esse possunt Imperatores Romani gloriosissimæ memoriæ, *Carolus V. Ferdin. I. & Maximil. II.* qui nihil magis in votis habere, quam ut contentiones ejusmodi atque schismata amice dirimerentur, & pax atque concordia inter partes litigantes iniretur, absque dispendio tamen veritatis Divinæ. Spectat huc Caroli V. *Decretum Augustæ Vindelicorum Anno 1530. promulgatum*, in quo Imperator piensissimus hoc vere inculcat, ut illis, quæ utriusque in Scripturis & sæcis tractata aut intellecta sint, sepositis & correctis, res illa ad unam simplicem veritatem, & Christianam Concordiam componantur ac reducantur. Quod quidem huic profus deprehendimus Imperatorem nunquam satis laudandum, *Maximil. II.* qui simili edicto imperavit, ut Evangelica veritas, sepositis odiis, & calumniis

lumiæ, rixæ & partium studis, sinceris animis cognoscatur, apprehendatur, & errores ac abusus, qui temporum progressu & malitia hominum accesserint, veris rationibus corrigendi suscipiantur. Immo eadem mens jam olim fuit Carolo M. de quo Aventinus Lib. III. *Annal. Bojor. p. 292.* memorat, quod ob corruptum Ecclesiæ statum multoties ingemuerit, & reformandæ illius gratia Concilium convocaverit, causamque convocati Concilii in publico edicto his verbis exposuerit: *Convocavi, ut mihi consulant, quo pacto iustitia & Christiana devotio instauretur, quæ negligentia & signavia Superiorem Principum labefacta, collapsa, terris depulsa corruit, quæ denique industria populæ Christi a falsis & pravis sacerdotibus habendo deceptus, & per anfractus confragosus & devios seductus, ad veritatis semitam reducatur. O ingenua & tantis Principibus digna consilia! Nequæ Fürstliche Gedanken / Jes. XXXII, 8.* Immo tandem & reliquos in aliis vitæ generibus viventes ab hoc pacificandi studio ne excipias; Quandoquidem omnibus ac singulis injunctum est a Spiritu Sancto: *Ἐπισημασθησθε ἕκαστος τὸν πληθύνον, Hebr. XII, 14.* Sequitur ergo, & fuit ex dictis

## PORISMA III.

*Paci & Concordiæ etiam cum ipsis Adversariis studendum.*

§. 5. Magni momenti est hæc assertio, & paradoxa etiam ac absurda sine dubio multis videbitur; quæ tamen omnino quoque profectario Textus nostri habenda. Si enim *ἐπισημασθησθε* beati, si tanti in oculis Dei, ut nomine & titulo filiorum Dei honorentur; Næ hostes & adversarii quoque nostri ad eos pertinebunt, cum quibus pacate vivendum est iis, qui Deo placere cupiunt. Ne tamen finistre hoc nostrum assertum accipiat, non ita nude & crude intellectum hoc volumus, quasi, qui hostes Dei manent, cum iis pacem & concordiam incudam esse jubeamus. *Absit a nobis*, ut iterum cum Magnifico nostro Lehmanno *loc. cit. §. 13.* loquamur, *sententia sacris oraculis ex diametro opposita, & Christiano gregi pestilentissima.* Hoc est, quod dicimus; desinant illi Deum, sanamque ipsius doctrinam oppugnare, huiusque voluntati in verbo patet, & acquiescant, & omnis sitim etiam nostra cum illis expirabit inimicitia ac discordia. Jam vinculum pacis ex utraque parte erit arctissimum; Jam non amplius signa

## BEATITUDO

38  
 erga invicem infesta feremus, felici omnium contentionum atque  
 diffidiorum clausula laudabile hoc pacis studium coronabitur. Jam  
*quo quoad deum est equari glorificabimus Deum ac Patrem Domini nostri  
 Jesu Christi; Rom. XV. 6.* Jam unanimiter veritatem docebimus,  
 & gloriam Dei, & mutuam edificationem tum doctrina pura & pia  
 confessione, tum proba ac sancta vita promovere studebimus. Jam  
 omnes unum erimus; *Unum corpus, Unus Spiritus. Quem admodum  
 & vocati sumus in una spe vocationis. Unus Dominus, una fides, unum  
 Baptisma. Unus Deus & Pater omnium, qui est super omnia, & per omnia,  
 & in omnibus, Ephes. V. 5. 6.*

§. 6. Habemus hic fundamentum veræ pacis ac concordia, quod qui in morum nobis relinquunt, in pace cum iis vivere, eosque pro fratribus in Christo agnoscere, ingenti profecto nobis erit gaudium. Secus facientes pace & concordia nostra indignos censemus, fraternitatis dextra nunquam nobis jungendos. Inter spuria itaque & falsa e Textu nostro fluentia Consectaria & hoc reputandum, quando ex Reformatis plurimi, quibus & illi e Nostratis Theologi accedunt, qui *intempestivo pacis & concordia studio* ducti pacisci inter nos, Calvinianos & Pontificios quoque satagunt, ex his Christi verbis perperam intellectis colligere volunt, pacem etiam cum iis colendam, qui falsis & erroneis suis dogmatibus nuncium mittere recusant: Nosque adeo reos ducunt rixandi & altercandi libidinis, cum ab ipso tamen Christo pacis cultores beati prædicentur. Quem admodum hoc Salvatoris eloquium: *Μακάριοι οἱ ἐπιπονοιοι, κ.λ.* temper in ore habere solent. *Quo ipso vel in sinum Romane Ecclesie sic dictos Protestantes reducere allaborant, vel Lutheranis Reformatos conciliare satagunt, vel idem inter Reformatos & Pontificios tentant, vel omnes Christi nomen professentes in unum corpus cogere annituntur.* Verba sunt Dn. D. Lœscher. *Dispur. de devitandis hæreticis, Wittob. A. 1689. habita, Porism. III. ubi & de modo hujus unionis loquitur, aliosque dicit tollerantiam mutuam svadere, alios relaxationem adhibere, alios denique intendere conversionem.*

§. 7. Atque tales quidem Pacifici omni tempore inventi fuerunt. Quibus antequam respondeamus, & quidnam de præpostero ipsorum pacificandi studio habendum sit, ostendamus, non ingratum forte Lectori fore arbitramur, quando præcipuos ex hujusmodi Pacificatorius

toribus adducere jam sustinnerimus. Quemadmodum enim semper extiterunt in Ecclesia Dei hæreses atque Schismata; *Oportet hæreses inter vos esse, inquit Apostolus, ut, qui probati sint, (οἱ δοκιμοί,) manifesti fiant inter vos, 1. Cor. XI, 29.* Ita nunquam defuere, qui pacem inter partes dissidentes quocumque modo componere sategerunt. Ejusmodi εἰρηόφιλοι jam, (ut longe antiquiora tempora taceant, quæ & ipsa infaustis pacificatoribus non caruisse, B. Danhauer docet, *Myth. Syncret. derect. & proscrip. Sect. I. p. 7. & seqq.*) tempore Apostolorum sub initium N. T. erant Pseudapostoli, Evangelium & legem, Judaismum & Christianismum conciliare studentes, ac cum iustitia fidei bonorum Operum merita ad salutem necessaria esse fingentes. His succedebant Anno Christi 364. tempore Arianismi Pacificatores *Ariminenses*, Ursatius & Valens aliique, qui in *Concilio hujus nominis*, impietatem Arianam cum veritate Catholica, sublatis phrasibus vocibusque nimium rigidis componere volebant. De quibus prolixè videatur Baroniùs *ad Ann. 359. n. 9. 27. 38. ex Evagrio Lib. III. c. XXIX.* Hos sequente seculo 481. excipiebat *Zenonis ἐνοσίχδον*, ubi Zenon Imperator Eutyichianam hæresin cum fide Catholica conciliaturus *nimirum* edidit edictum, quo concilium Chalcedonense non minus, quam Nestorium & Eutychetem anathemate feriebat, ut pacem saltem & tranquillitatem Ecclesiæ redderet. De quo iterum videndus Baroniùs *ad Ann. 482. n. 26. seqq.* Simili ratione Heraclius Imperator Monotheleta *Ἐκθεσις*, quam vocarunt, *Expositionem quandam fidei*, edidit A. Christi 639. ut conciliaret, quicquid intercederet discriminis inter suam & catholicorum dogma. Vid. denuo Baron. *ad A. 639. n. 1. 7. 8. & seqq.* Nec minus huc Constantis Imperatoris τῶπων referendum esse censeas, de quo idem Autor *ad A. 648. n. 1.* ita loquitur. *Edictum est tum impellente Paulo Constantinopolitano Episcopo de fide Edictum, quod Typum vocarunt, juxta illa causa prætensa, ut omnes Christiani Orbis Ecclesia simul in unam eandemque sententiam venirentur, paxque firma in Ecclesia esset, nimirum ut silentium de excitata controversa indiceretur tam iis, qui unam, quam illis, qui duas in Christo voluntates assererent. Verba Typi, quæ ibidem n. 4. adducuntur, cum pluscula sint, hæc exscribere, tempori & chartæ ut parcam, merito jam super edeo.*

S. 8. Ad nostra tempora si propius accedamus, post *Interimistas,*

*miffat, qui superiori seculo Aug. Confess. doctrinam conciliare cum Ecclesie Romanæ placitis & deliramentis volebant, (vid. B. Dannh. l. c. p. 15.) primas hic facile tenere deprehendimus Erasmus Roterdamum, qui, uti ipse fatetur, falli mavult in nonnullis, quam magno Orbis tumultu pro veritate digladiari, Lib. XII. Epist. 561. Quive proin exclamare nullus dubitabat: *Mibi (in religione) adeo invisa est discordia, ut veritas etiam displiceat seditiosa. Item: Mibi stat, semperq. mihi stabit sententia, vel membratum discepti potius, quam fovere discordiam, præsertim in negotio fidei. Occurrunt multi, qui Luthero favent, illud Evangelicum: Non veni mittere pacem, sed gladium. Equidem ut mihi videre videor esse quædam in Ecclesia recepta, quæ magno Christianæ religionis bono mutarentur: Ita nihil placet, quod hujusmodi tumultum geritur; Lib. I. Epist. pag. 5. Rursus p. 7. Mibi ut semper placet concordia, ita heic quoque malim pacem aliquantulum iniquam, quam bellam æquissimum. Georgius Wicelius Erasmi vnicuique discipulus præceptoris mentem adhuc clarius conspiciendam nobis præbet in Epist. A. 1537. Lipsiæ impressis. Hic enim postquam pleno ore Magistri sui laudes ebuccinasset, omniisque & palæotericis & Neotericis Theologis, qui post Apostolorum tempora vixere: illum prætulisset; tandem parnesin subjungit: *Repugna utraque manu, resiste utroque pede, tam Schismaticis quam Sophisticis commentis. Vid. plura in Wolfii Lect. Mem. Tom. II. Cent. XVI. f. m. 354. seqq.* ut labore adeo supercedere potuisset Joh. Richardus (Prieur de Beaulieu Saint Avoye,) qui A. 1688. Colonia emissio scripto, cui titulum fecit: *Sentimens D' Erasme de Rotterdam conformes à ceux de l' Eglise catholique sur tous les points controverséz;* Erasmi cum Ecclesia Romana consensum circa universa controversiarum Anti-Lutheranarum aut Anti-Calvinianarum capita ex Epistolis præcipue Erasmi probare satagit. Vid. *Acta Eruditor. Lips. Anno 1688. mens. Maj. p. 267. seqq.* Sed ad Wicelium ut reverentur, meminit ejus quoque Andreas Rivetus in *Animadversion. ad Grotii Annotata ad Cassandr. in Aug. Confess. p. 258.* his verbis: *Georgius Wicelius primo Lutheri doctrinam secutus postea Anno 1531. a Lutheranis defecit, ut ipse scribit, & exinde variis scriptis eorum doctrinam impugnavit, acerrimum se hostem præbens, quod patet ex ejus epistolis, Anno 1537. Lipsiæ editis; In quibus tamen apparet, cum ita Ecclesie Romanæ nomen dedisse, ut non destituerit ab insectandis Sophisticis pariter cum iis, quos hæreticos & Schismaticos pronunciabat, totus Erasmi-***



*rasmanus. Et paulo post: Tertiam religionem vel mediam meditabatur, ad quam pervenire non potuit. Pauci ingenium suum describit in Epist. ad D. J. D. scripta Anno 1533. Qui concordiam Ecclesie exoptat, is neutri parti nimium adhaerere necesse est. Hoc nomine placuit Dominis Annotatori. Oleum tamen & operam perdidit.*

§. 9. Et hac ratione ad *Georgium Cassandrum*, cui mirum quantum placebat *Wicelius*, devolvimur; Qui & ipse pacis erat studiosissimus, & Protestantes inter & Catholicos ita dicos pacem & concordiam cedere volebat, emisso Scripto *de Officio pii Viri, & Consultatione super Augustan. Confessione, sive Articula religionis inter Catholicos & Protestantes controversis*, quam iussu ac auspiciis *Ferdinandi I. & Maximil. II. Caesarum Imperatorum*, a quibus, ut & ipso *Carolo V.* in summo habitus fuit pretio, edita. Huius vestigia presse legit hoc nostro seculo *Marcus Antonius de Dominis*, nobilis *Vertumnus*, uti communiter vocatur, *Archi-Episcopus Salonitamus, Regnorum Dalmatiae & Croatiae Primas*, qui omnium religionum unionem meditatus est, vana persuasione haec eo inductus, non esse inter plerosque litigantes dissensum in fundamento fidei. Hinc non audebat, cum jam consilio itineris & secessionis a fide Romanae Curiae accinctus esset, Ecclesiam Romanam dicere haeticam, nec concedere sustinebat, eam unquam a vera Catholica fide infundamentalibus defecisse, *Lib. VII. de Republ. Eccl. cap. V. p. 89. 90.* Idem sensisse quoque animadvertimus *Guilielmum Laudum*, *Archi-Episcopum quondam Cantuariensem, Primatem totius Angliae ac Metropolitanum Praesulem*, cui eadem visa fuit Pontificiorum, Protestantium ac Reformationum religio, eo quod controversiae, in quibus a se invicem laudatae Ecclesiae differunt, non sint fundamentales, nec tanti momenti, ut non facile fieret parvum reconciliatio, & in unam religionem benotica coitio nisi insana, uti loquitur, intemperies furiosorum quorundam zelotarum obstaret, & paucorum admodum pertinax morositas, &c. in *Relatione Colloqvii cum Jesuita habiti p. 36.* In Gallis idem molitus est *Theophile Bracher de la Millietiere*, qui cum ideo ortores papanos circa primum Romani Pontificis, circa Justificationem & merita operum, indeque dependentes palliandos & incrustandos sibi sumpseret, ut partes dissidentes reconciliaret, strenue interim agens causam pontificiam, sibi mox succenturiantem inveniebat *Hugonem Grotium*,

tum,

BEATITUDO

42  
 rum, uti hoc elogio a B. Jo. Tobia Majore in *dissert. de Orat. pro defunctis Epistol. dedicat.* ornatur, incomparabilem, Virumque suorum nominum in sapientia seculari, in divina non itidem; in quo, tanquam sub Irenarcha confluebant reliquorum Moderatorum pacificationes, uti B. Dannh. loquitur *Myster. Syncret. Sect. 1. §. 13. p. 21. Quis non Pontificis solum placere voluit, aut alius Christiano nomine de albatris*, verba sunt B. Calovii *Bibl. Illustr. Epistol. ad Lector. praemissa*, Arminiani puta & Sociniani; sed ipsi etiam Judaeis, quos pronus sequitur, &c. Qui hunc Millererium hominem sibi amicum, pietatis & concordia amanissimum, & magna rerum aditriumque pertinentium notitia instructum, dilaudavit, editis eam in rem aliquot opusculis, quibus sedem Romanam ab Anti-Christianismi nota vindicare alloboravit. Id quod ante eum in Britannia tentaverat, e factione Anti-puritana Schelfoordus, qui non veritus fuit asserere: *Papam Romanum non magis posse dici Anti-Christum, quam Lutherum*. Et applaudit Montacutius in *Traetatu, J'appelle the Cesar*, cui deliramenta & Apocalyptica phreneses audiunt quae orthodoxi de Anti-Christo magno Ecclesiastico haecenus sunt commentati. Vid. *dissertat. de oratione pro defunctis* B. D. Majoris Hugoni Grotio & Papiis oppositam antea citatam, §. 1. *segg.* Sed haec obiter inspersisse sufficiat. Ad ipsum Grotium revertimur. Cum haec res non ex voto succederet, alia rationem sibi sternere conabatur ad Christianorum concordiam restaurandam; Editis nempe *Annotatis* nonnullis ad *Cassandri Consulat.* quorum jam antea mentio facta fuit; nihilque adeo intermittebat eorum, quae ad scopum sibi praefixum ullo modo. facere posse videbantur. Sed & haec conatu frustraneo, uti mox audiemus.

§. 10. Circa idem ferme tempus, ministri Reformatarum Ecclesiarum Synodo Carontoni habita decrevere, Lutheranos, qui vellent, in Communionem suam recipere, additis rationibus, quod in principiis fidei idem cum Reformatis sentiant, nec in cultu suo habeant, quae idololatrica sint. Super qua pace & concordia Censura prodiit Parisiis A. 1683. Idiomatico Gallico cum hac inscriptione: *Reflexions sur l'Union, que les Calvinistes ont fait avec Les Luthériens*, &c. Contenta hujus libelli vid. in *AB. Exudit. Lips. mens. Mayo 1683. p. 213.* Hos & similes hujus furfuris Pacificatores spissa aliorum *Tav. et syncretis* nubes aut comitata, aut insecta fuit. Quorum e Calvinianis

manis referas Palatinos, & in iis præcipue *Parvum* in *Irenico*; In Hasfia Paulum *Steinium* & Johann. *Crocius*: In Marchia post *Pelargi* decessum utrumque *Bergium*, Johann. & Conradum; Bremae Urbanum *Pierium* & Ludovicum *Crocius*, alibi locorum alios, puta *Amyraldum*, *Hornbeckium*, *Junium* &c. & universalem tandem ex Anglia Pacificatorem *Johannem Duræum*.

§. 11. Præ cæteris hic nominari meretur Scriptor e Reformatis recentissimus, *Johann. Henricus Heideggerus*, qui Præceptorem suum Io. Henricum *Hottingerum* secutus *Manuductionem in Viam Concordia Protestantium Ecclesiastica* ante hoc decennium edidit Amstelodami impressam, Ann. 1687. Quem Tractatum, in quo Vir laude sua non defraudandus, propensum ad Pacem Ecclesiasticam inter Protestantes studium satis superque demonstrat, nervose recensitum vide in *Actis Erudit. Lips. Ann. 1687. mens. Jun. p. 289. seqq.* Quamquam nihil in illo libello dici judicat B. Waltherus, Theologus Wittebergensis in *Prælectionibus publicis ad hanc Manuductionem, quod non dictum sit prius, & a Nostriis confutatum centies*. Cæterum hunc de Pace & Concordia Heideggeri Tractatum *acerbissima Censura* notavit, quisquis ille sit, qui sub *Christiani Sinceri* nomine *Fœdum Concordia inter Protestantes & Reformatos obdulum* per Jq. Henr. Heideggerum, edidit A. 1690. Quem, si lubet, vide.

§. 12. Et hæc quidem de iis, qui *Calvino* nomen debere, eorumque pacificandi studia annotasse sufficiat. Nec e Coetu *Pontificio* defuisse, qui subinde ingens pacis desiderium præ se tulerint, supra a nobis monitum fuit. Jam e recentioribus solummodo unus atque alter Romanensium adhuc erit nominandus. Sunt inter nos præcipui *Thomas Henrici*, Episcopus Chrysopolitanus, *Jacobus Masenius*, Adolphus Godofredus *Volufius*, *Augustinus Gibbo de Burgo* & alii. Nec prætereundum heic esse videtur *Henoticon* illud, quod Regis Gallia nomine inscriptum ante annos non ita multos prodiit, quodve aliquam mutationem religionis Pontificia polliceretur; Anno nimir. 1673. editum sub hoc titulo: *Copia der Articulin, welche Thro Königl. Maj. in Franck B. von Aenderung der Religion proponiret hat. Episcopi super hoc evocati vid. in B. Rappolti Opp. Theolog. p. 437. seqq.* Possit ei, inquit Vir beatissimus, illud *Apostoli* præscribere: *μη κἀσι κινύμεθα, πῖς ἐυσεῖς* ex 1. *Joh. IV, 1.* Licet articulo-  
rum

BEATITUDO

44

rum quorundam simul et emendationem. Pertinent hoc *Consilia Pacifica Marcelliana pro stabilenda reconciliatione & Unione universali omnium dissentientium, qui Christiano nomine gaudent*, ita dicta ab *Henrico Marcellio*, Th. D. & Jesuita Bambergensi, qui aliquot abhinc annis scripta nonnulla luci publicæ dedit, in quibus callide & fraudulenter dogmata Papistica sub specie veri palliare, dissentientesque vario adhibito glaucomate cum Papistica unire Ecclesia satagit, quæ castigata & refutata a *B. D. Seldio*. Post Tractatum quendam denovo publicavit cum hac inscriptione: *Sapientia Pacifica filiorum Dei, pollicitorum vanitati opposita, triplici explicata disquisitione, de mediis exaltandi Ecclesiam Catholicam, adversarios conciliandi, & hoc pacto unionem stabilendi universalem*. Sed hæc *media* ita dicta *pacificæ* discussit & solide confutavit Theologus non ita pridem adhuc *Nostros Primarius B. Dn. D. Georgius Mœbius in Diss. Select. p. 169. seqq.*

§. 13. Inter novissimos Pacificatores referas Apostatam illum, *Matthæum Prætorium*, qui ex castris nostris ad Romanam transitit, & deinde unionem Ecclesiæ Romanæ & Protestantium svasit in *Tuba pacis ad universas dissidentes in Occidente Ecclesias*, quæ ante hoc duodecennium Coloniae prodijt; Cui præter alios sese opposuerunt *Dn. Bernhardus von Sanden* & *D. Melchior Zeidlerus*, uterque Professor Regiomontanus; Ille quidem in *Theolog. Symbol. Lutheranæ: hic in refutatione Tubæ Pacis a Prætorio dictæ*. Quod & ante eum fecit Celeberrimus *Gedanensium Theologus, Dn. D. Samuel Schelgvigna*, sex hanc in rem adornatis disputationibus. Summa singulorum horum scriptorum capita invenies in *Actis Erudit. Lips. Illius 1689. mens. Febr. p. 79. istius, mens. Septembr. ejusd. anni p. 477. hujus, Act. supplem. Sect. VII. p. 558*. Sed quis omnes hos & alios Pacificatores enarrare præsumat? De *Jacobo Benigno Bossueto*, Episcopo olim Condomiensi, post Meldensi, ejusque *Expositione doctrinæ Catholicæ*, alias, item de *Johanne Dezio*, Jesuita Gallo, ejusque *Unione Ecclesiæ Protestantis Argentoratensis cum Romana*, quem utrumque justo confusum elencho dedit Præceptor noster desideratissimus, *B. Dn. D. Albertus*, hunc quidem in *August. sua Confessione*; illum in *Examine Professionis fidei Tridentina*. vid. *Dnn. Altor. Lips. Collectores An. 1690. mens. Jan. p. 26. & Ann. 1692. mens. Octobr. p. 464. seq.* De *Johanne Francisco Haki*, Jesuita, qui *An. 1689. edidit scriptum, cui titulum fecit: Re-*

gia

gia via, omnes dissidentes in religione Neo-Evangelicos ad orbem terrarum & Salvificam fidei Christiana veritatem persecutandam, inveniendam & amplectendam manu ducens, cujus libelli summam videas apud Dnm. Lipsienses in Act. Ann. 1690. mens. Mart. p. 138. ut & de aliis, quos nominare jam & recensere supersedemus, plura adhuc memento essent. Verum hæc pro instituti ratione adduxisse sufficiant.

§. 14. Tempus nunc & ordo Tractationis nostræ requirit, ut, quid de his & id genus pacificis aliis statuendum sit, edisseramus. Primum omnium audiamus B. Megalandum nostrum Lutherum, qui nec cum Papis, nec Calvinianis pacem iniri posse & concordiam, multis in locis docuit, rationibus e verbo Dei adductis prægnantissimis. Ac de unione quidem cum Pontificiis tentanda ita in literis ad Melancthonem d. 25. Augusti Anno MDXXX. Augustam misis loquitur: *Quid minus speravi unquam, & quid adhuc minus opto, quam ut de Doctrina concordia tractetur? Quasi vero nos Papam deicere possimus, aut quasi, salvo Papatu, doctrina nostra salva esse non possit.* Et paucis Interjectis: *Mihi in totum displicet tractatus de concordia doctrina, ut quæ plane se impossibilis, nisi velit Papa papatum suum abolere. Satis eris, nos reddidisse rationem fidei & petere pacem: Convertere eorum ad veritatem quare speramus? Atque iterum: Arbitror te jam, mi Philippe, satis multa experientia videre, Belial cum Christo nulla ratione conciliari posse, nec sperem concordia ullam concipi debere quoad doctrinam. - Quare concordiam aut permissionem nolite sperare, neque ego unquam hanc oravi apud Deum, sciens impossibilem esse; sed tantum, ut nos permitterent docere, & pacem concederent, manentes ipsi in sua impietate.* Et ad Iustum Jonam de hac pacificatione ita B. Vir scribit: *Non sane de dogmatibus unquam fiet concordia. Quis enim Belial cum Christo speret conciliari?* Consimilis argumenti literæ ejusdem sunt ad Georgium Spalatinum scriptæ: *Audite vos, non libenter sane, incepit: mirificum opus concordandi Papa & Lutheri. Sed Papa nolet, & Lutherus deprecatur. Videte, ne quæram publice iuferitis. Quod si invio utroque rem feceritis, tum ego mox vestrum exemplum secutus conciliabo Christum cum Belial.* Conf. *Histor. August. Confess. D. Chytrai pag. 139. seqq.* Eadem mens quoad unionem & concordiam cum Calvinianis omni tempore sanctissimo Dei Viro fuit. Cum enim in suspensionem se inicit cum adver-

fariis pacis venire animadverteret, Colloquio tum Marpurgensi, tum Wittenbergensi, ita ab hoc crimine se liberat; *Tantum*, inquit *de Ecclesiis Helveticis, id concessimus, ut fratres quidem non essent; sed tamen charitate, (quæ etiam hosti debetur,) nostra non destituerentur, in Epistola ad Jacobum Prepositum citata ab Huttero in Irenæo f. 165. seqq.*

§. 15. Quæ B. nostri Gerhardi de hac pacificatione mens & sententia fuerit, satis ipsius loquuntur *Disputationes Academicæ*, in quibus probandum in se à Manapliis suscepit, quod *studium vera ac sincera pietatis per Pontificiorum, Calvinianorum & Photinianorum doctrinam celestis corruptelas labefactetur*. Ac quosdam hæc omnes Augustanæ Confessionis ymothos addictos Theologos deprehendes; Quos singulos adducere ac audire velle, nimis longum foret. Instat omnium nunc esto B. Hülsemannus noster, qui Calvin. Irreconcil. p. 17. ita loquitur: *Quod de Papisia quidem (a Calvinistis conciliationis dogmatum cum iis miri posse,) Josephus Hallus pernegat, negat Patens Irænicæ cap. XXII. Sed Abrahamus Scultetus in concione d. 15. April. An. 1620. Præge habita, & Conradus Bergius, Professor Francosurtanus ad Oderam, duobus concionibus Anno 1623. editis, probandum suscepserunt. Quorum intempestivo facilitate correxerunt D. Lucas Osterander disp. Anno eodem d. 25. & 26. Augusti, Tubingæ habita, sub titulo: Scultetus Atheus: Et D. Nicolaus Hunnius in consultatione de componendis Religionis dissidiis cap. 11. XIII. seqq. Addit tandem B. Hülsemannus pag. seq. 18. Iste vero Synathrosimus & conglobatio omnium sectarum in unam, quam denique formam sortietur, nisi Samaritanismi tantopere exosi & maledicti? 2. Reg. XVII, 24. 33. Sir. cap. L, 27.*

§. 16. Sed his & similibus recensendis cur immorabimur, cum ipsemet ex adversariis cordatior, ejusmodi pacem neutiquam exoptare se, plus vice simplici indicarit? Quam male ideo Theologus nostri seculi celebratissimus Pontificiis audiat, *cujus tranquillitatis & concordia Ecclesiastica flagrans cupidus animus*. (verbis utor Dn. Frid. Ulrici Calixti *disseren. Spiritus, qui ex Deo est, §. 11.*) *plura pacis suggererat consilia, allegare jam super sedeo, ne Ecclesiæ nostræ vulnera, quæ per Dei gratiam propemodum coaluere recrudescere fauiam. Adeat, cui volupe est, Censuram Moguntinorum, qui desiderium pacis*

& concordia cum ipsis ineunda appellatur *commentum Chimericum, Babelicum, Atheisticum, Marchialisticum, Pseudopoliticum & Liberinum*. Pacem pra se ferri, qui tali pacis desiderio teneantur, dicunt, sed jura pacis vel ignorare, vel odisse. Dissidentium unionem polliceri, sed quae fidem Ecclesiamque perimat. Methodum sancienda concordia proponere, verum jam dudum ab Ecclesiae Doctoribus confutatum, adeoque vel nausea, vel risu dignam. Horum religionem nihil esse aliud, nisi figmentum humanum, Ecclesiam vero confusionem plusquam Babyloniam quovis schismate deteriorem, quavis haeresi perniciosiorem, eo magis, quod blandiori furo animos inestet, Machiavellica impietati velificetur, Anti-Christo & Atheismo viam parat, &c. Et ita fere omnes ab ipsis Pontificiis exceptos legimus, qui animum ad pacificandi studium applicuere. Certe sibi ita evenisse, cum pacem & concordiam meditatus fuerit, ex ipsius Erasmi ore & calamo percipimus; Na ego, inquit loco superius citato p. 7. *praeclarum operae pretium fero, qui utrinque lapidorum?* Apud nostros falsissimo titulo traducor *Lutheranus*, apud Germanos male audio, ut *Lutherana* factionis adversarius. Et omnino verum dixisse Erasmus, Bellarm. *Lib. I. de Verb. Dei* p. 43. satis confirmat, qui *Semi-Christianum* eum appellat; Quem admodum etiam judicum expurgantium sustinere censuras coactus fuit. Geminum fatum *Cassandrum* subiisse refert B. Dannh. *Myster. Syncret.* p. 22. Sane & ipse *Judicem Romanam expurgatorem* effugere non potuit, adeo quidem, ut inter primi generis prohibitos Auctores collocaretur. *Valerius Andreas* in *Bibliis Belgicis* ita de *Cassandro* loquitur: *Cum in componendis religionis dissidiis se ponit sequestrum & Arbitrum, a recta fidei semita nimium quantum exorbitasse visus est. Docebat enim, nullam haeresin sic errare, ut a salute abducatur, quam diu in Christum creditur, vel Apostolicum Symbolum tenetur. Licet prae terea homini Christiano in articulo fidei orthodoxa dubitare; Quod impium est & temerarium. Quare scripta ejus pluraque Theologica a Patribus Concilii Tridentini aut damnata, aut censura notata sunt. Gemella videas apud Moguntinos, qui *Cassandrum* apud orthodoxos nec amari, nec timeri dicunt. *Anatom. Calixt.* cap. 108. *Cassander* cum suis praeter aeternam apud orthodoxos infamiam, quae eorum libri in prima damnatorum classe repositi sunt, effecere nihil.*

§. 17. Haut meliora fata expertum esse Cassandri sumiam, *Antonium de Dominis*, Andreas Rivetus in *Animadvers. ad Grotii annot. ad Cassandr. p. 262.* memoriz prodidit. Postquam enim spe non tantum impunitatis, sed etiam lautioris fortune, edita palinodia Papa assentatus fuisset, sed in proposito non diu perstitisset, factum inde, ut in carcerem coniectus, in eo moreretur, & cadaver ejus ab inquisitoribus ad rogam fuerit damnatum, misero ejus amanuense strangulato senserit ille, addit Rivetus, horribile esse incidere in manus Dei viventis. Antagonistam inter ceteros acerrimum habuit Jesuitem, Martinum Becanum, qui *Tom. V. Opusc. VI. p. 689.* hac ad eum utitur *ωροσφωδωσες*: *Uaui est*, inquit, te neque Catholicum esse, neque Lutheranium, neque Calvinistam, sed ab omnibus dissentire, & novum doctrina Symbolum, partim ex aliorum scriptis, partim ex tuo cerebro consarcinasse. Alterum, duplici spiritu ad scribendum impulsus te esse, altero odii in Pontificem, altero amoris propriae excellentie & cupiditatis.

§. 18. De Hugone Grotio jam supra §. 9. notavimus, de omnium religionum hominibus bene mereri ipsum voluisse, suppeditatis ubique pacis consilii; successu tamen irrito atque frustraneo. Exiguam certe gratiam reportasse a Pontificis, ex Elencho librorum prohibitorum patet, ubi opus ipsius, quod de jure belli & pacis conscripsit ac divulgavit, a sacrae Judicis expurgatorii congregatione interdictum fuit, facto decreto *Roma IV. Febr. cl. Id. XXVII.* Andreas Rivetus l. c. ita de Grotio, ipsiusque complicibus sentit: *In rebus fidei & religionis, ut sedeat arbiter, (Grotius) omnia moveat, & Theologiam illam mixtam jam diu ab utraque parte in Erasmo, Cassandro & Wicelio rejectam & explosam, etiam illo tempore, quo spes aliqua conciliationis affulgebat, nobis iterum obrudat, nescio, an passuri sint, qui prioribus illis non pepercerunt.*

§. 19. Atque huic Senis Octuagenarii & magnæ inter suos auctoritatis judicio plurimi e Reformatis accedunt, qui parum delectari se consilii aliorum pacificis ingenue fatentur. *Fac, (o Deus) perpetuo cogitemus, meliorem esse talem pugnam, quæ nos Deo, qui est veritas, proximos facit, quam pacem illam, quæ separat a Deo. Duas item esse amicas ac sorores geminas, VERITATEM & PACEM, neque ad nos PACEM venturam, si sororem ejus VERITATEM non dilexerimus, ita Synodales Dordraceni, deff. 1. pag. 4. 5. Nec bona conscientia cum illis*

pax



pax coli: aut Syncretismus iniri sancirive potest, qui contra fundamentalem fidei doctrinam insurgunt, ac errores amplectuntur; sunt verba Deputatorum Groningæ & Omlandiarum in suo iudicio de V. Remonstrantium articulo. Qui plures ejusmodi ex Calvinianorum scriptis oculos desiderat, adire potest Magnific. nostrum Olear. *Synops. Error. Calvin. & Programma invicator.* ipsi præfixum. Atque hujus sententiæ quidem, quod omnino mireris, etiam illos esse deprehendes, qui pacis alias videri volunt studiosissimi. *David. Pareus & Jobannæ Bergium*, inter Pacificatores vel maxime eminere, supra docuimus; sed audi utrumque loquentem, & judica, quid de consiliis ipsorum pacificis sit habendum. Si Lutherani hoc velint, inquit Pareus, *Iren. cap. III. ut opiniones suas de ubiquitate carnis Christi, orali ejus manducatione in Cæna, similesq; alias, uti hætenus fecerunt, mordicus tueantur, nullo cum fructu instituentur pacificatoria Colloquia. Neque enim Ecclesiæ & conscientie nostra opiniones tam periculosas, (ut nihil gravius dicam,) addimere unquam poterunt.* Bergius autem in *Unterschied und Vergleichung der Evangelischen p. 213.* ita: *deroßhalb so können wir ihnen. (denen Lutherischen) so lange sie sich nicht besser zur Christlichen Einigkeit erklären, ohne Gefahr unserer Seelen, nicht Beifall geben; Sondern müssen wider solche ihre Neben-Articul die erkante Wahrheit beständiglich bekennen und vertreten; damit nicht durch ein wenig Sauer-Teig der ganze Teig versäuret; und über solchen Neben-Gründen der rechte Grund noch mehr verdunkel/ oder endlich gar verlohren werde. Quid æquo Lectori de hac Pacificatorum confessione videtur? Nonne B. Scherzerum notarum vera pronuntiaffe credemus, quando Syncretismum Calvinianorum intentione dicit esse pulverem digestivum, in officina Job. Calvinii preparatis pilulis avocata purgando evacuandog, universalissimi (quod vocant) veneno, & qui: quid Lutherani humoris in corpore nostro reliquum est, *Programmat. XI. de Syncretismo, p. 163.**

§. 20. Quod si hæc probe pensitemus, exiguam omnino spem conciliandi pacem atque concordiam inter partes hætenus dissidentes reliquam esse animadvertimus. Conf. hic egregiam *Dissertat. Magnifici Carpovii nostri de non speranda Lutherianorum cum Pontificis & Calvinianis Unione, Anno 1692. hic Lips. habitam*, ubi plura oppi-

oppido in hæc rem facientia invenias. *Res optima, sed desperatissima hodie restauranda concordia & tranquillitas Ecclesiastica studium & desiderium*, inquit Dn. D. Frid. Ulricus Calixtus *Discret. Spiritus, qui ex Deo est, p. 1.* Quamquam non desint etiam ex modernis nostris Theologis, qui non omnem unionis spem abjiciendam esse censeant; Quos inter nominandus Dn. D. Hector. Gottfried Masius, *Interesse Princip. circa Relig. Evangel. p. 177. cap. VII.* Postquam enim Vic. Cordatissimus rem valde difficilem pronunciaffet, imo plane impossibilem, vel saltem inextricabilem, invenire viam redintegrandæ pacis Ecclesiasticæ cum Romana Ecclesia, p. 173. Non æque ex altera parte de unionem cum Reformatis desperari jubet. Multis quidem & hæc difficultatibus subjacere dicit; Verum tandem subjicit: *Quo minus spem omnem Unionis abjiciam, illud potissimum efficit, quod hoc ipso seculo Reformatos in quibusdam fidei articulis propius ad nos accessisse animadverti.* Quorsum refero articulum de gratia Dei universali, in quo multi Galli, non quidem, ut Amyraldus, iudunt, sed serio nobiscum, quod scio, sentiunt. Utinam in articulo de S. Cæna aliisq; dogmatibus eadem esset harmonia. Quemadmodum autem in anteced. Theologus optimus mentem suam satis perspicue declarat, quem in sensum hoc suum effatum intellectum velit, neuiquam scilicet cum detrimento veritatis: Non enim, inquit, omnis concordia optanda nobis est, sed ea demum, quæ cælestis veritatis fundamentum supponit: Ita ipsius sententiæ & nos lubentes subscribimus; Nunquam de pace cogitandum esse dicentes, nisi veritas Verbi Divina facta tecta relinquatur. Ne ducatis jugum cum incredulis. Quod enim consortium iustitiæ cum iniustitiis? Aut quæ communicio luci cum tenebris? Aut quæ concordia Christo cum Belial? &c. Quæ propter exite de medio illorum, & separemini, dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis; Et ego suscipiam vos, &c. 2. Cor. VI, 14, 15, 17. Cui loco palmario alia etiam adjungenda, quæ, ut echartæ parcamus, quoad singula verba jam allegare superfedemus, sunt autem præcipua, Rom. XVI, 17. Mathe. VII, 15, X, 16. XVI, 6, 1. Tim. VI, 3. Tit. III, 10. Phil. III, 2, 2. Tim. II, 16, 17. Eph. IV, 14, &c. Cum itaque longe melior sit, dicente Bernhard. in Epist. discordia, quæ nos Deo conjungit, quam pax, quæ nos a Deo separat; Ergo maledicta sit pax & concordia, quæ desinitur sinceritate doctrinæ, uti Ignatius loquitur, cumque illo in eandem plane sententiam

tiam Megalander Lutherus, in *Epist. ad Galat. Tom. IV. Lat. Jenens.* p. 137. 16. *Maledicta*, ait, *fit charitas & concordia, propter quam conservandam periclitatur Verbum DEI. Sinamus eos amplificare concordiam & charitatem Christianam. Nos contra amplificemus majestatem Verbi & fidem. Charitas negligi potest in loco sine periculo, non item Verbum & fides. Charitatis est omnia tolerare, omnibus cedere; Contra fidei est prorsus nihil tolerare, nemini cedere, &c. Vide ibid. plura, & conf. B. Dannh. Memor. Thavmasiandri Lutheri, cap. IX. §. 4. pag. 47. seq. Nos concludimus hoc Porisma verbis B. Dn. D. Hutteri Fren. contra Parvum, prasat. O beatam pugnam, quæ DEum amicum facit, & animum tranquillum reddit: O Pacem infaustam, quæ a DEO separata, quæ conscientia scrupulos immedicabiles injicit: Quæ denique, se hostem alium non habeat, sibi ipsi hostis est inexpugnabilis.*

*Sit maledictus amor, pax & concordia Sacra,  
Quæ Christi violat dogmata pura DEI!*

## PORISMA IV.

*Ita ergo Paci & concordie cum Adversariis studendum, ut veritati Divina plane nihil decedat.*

§. 21. Longe enim in sancienda hac pace alia ratio est, quam in transactionibus civilibus, ubi singuli pacifcentium aliquid de suo jure remittunt, sibi que invicem concedunt. Id quod ad pacem in Regno DEI conciliandam applicare velle, vel profani & levidentis animi, vel rerum Divinarum penitus ignari, luculentissimum esset indicium. Dubium itaque nullam est, fluxisse ex hoc fonte perversam illam diffidia in rebus fidei componendi rationem, quam ante annos non ita multos tentasse legimus *Johannem Matthia*, Episcopum Strogensensem, in Regno Sueciæ, qui religionum diversarum conciliationem quoque, sed frustraneo successu, meditabatur, a Georgio Hornio in *Histor. Eccles.* p. 230. eo nomine valde commendatus. Cum enim propter machinationes ejusmodi non ferendas in Comitibus Regni Anno 1664. accusatus & officio suo abire jussus fuisset; Postea in Confessione sua, quam paulo ante vitæ obitum d. VII. Febr. Anno 1670. Holmiæ edidit, quamve sibi communicatam a Dn. D. Balthaf. Menzero, Concionatore Aulico Darmstadiño primario aliquanto post, refert B. Dn. D. Ge-

BEATITUDO

92  
 D. Georg. Mœbius. *Dedicat. Vindic. Hutterianis præmissa*, coram adstantibus Ecclesiæ Ministris inter alia fassus fuit, se *Symphonismum* in veritate quævisse, & existimasse, etiam hic valere, quod in aliis fœderibus & compositionibus fieri consuevit, ut, qui fœdera percutiunt, aliquid ex utraque parte de suo jure deperdant. Sed impia, addit Vir beatissimus, & pessima hæc fuit sententia. Non enim est in nostrâ potestate aliquid remittere de sententia revelantis. Hæc est via, inquit apud Prophetam Divina Majestas, ambulate in ea, & non declinetis, neque ad dextram, neque ad sinistram, *Jes. XXX, 21. Confer. Matth. V, 18. 19.*

§. 22. Et hoc quidem a piis, & juxta Verbi Divini regulam cum cura incedentibus, probe observatum omni tempore legimus. Refert hinc Theodoretus *Lib. IV. Histor. Eccles. cap. XVII. Basilium Magnum* præfecto cuidam Imperatoris Valentiniani, qui rogabat, ut tempori serviret, nec tot Ecclesias propter parvum dogmatum subtilitatem affligi pateretur, ita respondisse: *Qui Divinis innutriti sunt eloquii, corrumpere de Divinis dogmatibus, ne unam quidem syllabam patiuntur, sed pro his, si contingat, omnes etiam moris species amplectuntur.* Et cum olim Ariani peterent ab orthodoxi, ut unam saltem vocem omitterent, quæ non haberetur in Scriptura, nec in Symbolo Apostolorum: vel unam tantummodo literam immutarent, ac pro *ὁμοούσιον* dicerent *ὁμοῦσιον*; Isti hoc constanter recusarunt, & mascule contra dixerunt. vid. *Trip. art. Lib. V. c. XXI. f. 82.* Eadem mentis constantia semper fortissimo Heroi nostro, B. Luthero fuit; cum enim a Philippo in Comitibus Augustanis rogaretur, quantum adversariis in controversis doctrinæ & fidei capitibus cedendum esse existimet, ita in literis ipsi respondebat: *Apologiam vestram accipi, & miror, quid velis, ubi petis, quid & quantum sic concedendum Pontificiis? De Principe est alia quæstio, quid illi concedendum sit, si huic periculum impendeat. Pro mea persona plus satis cessum est in ista, quam si recusant, nihil video, quod amplius cedere possim, nisi videro eorum rationes, aut Scripturas elariores, quam hæcenus vidi. Ego dies & noctes in ista causa versor, cogitans, volvens; disputans, & totam Scripturam lustrans, & augescit assidue mihi ista ἀποδοξία in ista doctrina nostra, & confirmor. magis ac magis, &c. vid. *Histor. Aug. Confess. D. Chytræi p. 139.* Et huic B. Lutheri nostri iudicio ianitur Philippi & sociorum in dictis Comitibus Pontificiis datum respon-*

sponsum; Cum enim isti se haut parum de sententia sua remisisse videri vellent, peterentque adeo die 20. Augusti, ut de sua quoque Philippus cum suis non nihil remitterent; Tunc, *sibi non esse integrum*, hi regessere, *quicquam largiri de alieno*. Quoad enim doctrinam ne laetum quidem pilum abs se iri concessum; Circa ceremonias haut futuros esse difficiles. Vid. l. c. p. 357. & 378. Coelestin. Tom. III. pag. 47. Idem ergo & nobis hodie, atque omnibus piis Jesu Christi Ministris est faciendum, nec quicquam adversariis concedendum, masculine ac ardentem in causa fidei & religionis pugnandum, nihilque intermittendum eorum, quæ tum ad veritatem Divinam asserendam & confirmandam, tum a strophis adversariorum vindicandam, ullo modo facere videntur. Bono itaque ordine jam pergimus ad

## PORISMA V.

*Ob studium pacis Elenchus minime est omittendus.*

§. 23. Tantum enim abest, ut *beatos pacificos* prædicando, ipsique gloriam filiorum Dei asserendo, elencho interdiceri piis Ecclesie Ministris voluerit Salvator, ut hunc potius non intermittendum, hoc ipso loco haut obscure insinuaverit. Filii Dei sane inter alia & pii ideo dicuntur, quia Patrem Coelestem imitantur; Confer, quæ supra dicta sunt cap. I. §. 17. Hinc est, quod Cornel. a Lap. in b. l. filios Dei per *simillimos* Deo reddendum esse existimet, *eo quod pii ac pacifici, dum paci & concordia operam dant, Patrem suum, qui est in Cælis, referre studeant*. Quemadmodum itaque pacis quidem amantissimus Deus est, sed pacis veræ, honestæ atque laudabilis: *An consociaretur Tibi, o Deus, solum arumnarum, formans molestiam præter statutum, Psal. XCIV, 20.* ita, qui filii Dei audire volunt, nullius unquam pacis studiosi sunt, nisi quam ab ipso DEO, Pacis Autore, amari atque æstimari noverint. *Cum hæretico dissidia habere non est contentiois, sed pietatis*, inquit Chrysostomus; Et Nazianz. in *Orat.* quæ in scribitur λόγος συνταξήριος; *Pro Christo belligerandum esse ostendimus*, ait, *ἔν τῷ ἰππῶν πύρῳ (ἐν τῷ μάχεσθαι κατὰ Χριστὸν τὸν εἰρημικὸν τε καὶ πᾶσον,)* Christum pacificum & mitem, & portantem infirmitates nostras imitatur. *Neque pacem sic colimus, ut propter opinionem lenitatis quicquam contra verum veritatis toleremus:*

neque enim bonum male venamur: Sed legitime pugnantes, pacem tamē colimus, ( καὶ εἰρηνεύομεν ἐν νόμῳ μαχομένοι, ) intra nostros limites & regulas Spiritus consistentes. Quare studium pacis odium & averfationem, & rejectionem ac condemnationem eorum, quæ Verbo veritatis adversa docentur vel propugnantur, nequaquam tollit, sed suo potius ambitu complectitur; Ideo enim pugnamus, ut pax tandem optata firmetur ac stabilietur; Et ideo cum veritatis hostibus congregimur, ut erroribus suis agnitis & abjectis herbam tandem porrigant, unanimi nobiscum ore Deum laudent, ac æternum salventur.

§. 24. Quod itaque de populo Dei, cum templum & urbem sanctam restauraret, legimus *Neb. IV, 17, 18.* Idem de quovis Doctore ac Ministro Ecclesiæ nobis erit pronuncianum, cui omnino competit, ut una manu teneat gladium Spiritus, & altera civitatem Dei ædificet: Ut non, quod hortulani solent, tantummodo plantet, quæ frugis bonæ sunt, sed, sicubi opus fuerit, herbas noxias quoque ac venenatas evellat. Id quod posterius non nisi mediante Elencho fieri potest, eoque tam nominali, quam reali, qui uterque sua in Scripturis habet fundamenta, uterque pio ac probato Verbi ministro est necessarius. Paulus sane Apostolus Theologi *παιδείας* officium in duobus collocat, ut sit *δοκτορ πάσης παιδείας* & *ἐπιτιμῆς* in doctrina sana, & *ἀντιλέγοις ἐλέγγειαι καὶ ἐπιστάσει*, arguere & convincere, ac os iis obturare valeat, *Ti. I, 9, 11.* Id quod speciatim *Timotheo* suo injungit, ut redarguat, *ἐλεγξῶν*, ait, *2. Tim. IV, v. 2.* & quidem *ἐπιτόμως*, severiter, ut sint sani in fide, quod *Tuum* facere jubet, *cap. I, 13.* uti & inter reliquos Sacræ Scripturæ usus *ἐλεγξῶν* quoque, redargutionem ponit, *2. Tim. III, 16.* Illum certe, qui hac adversariis contradicendi *ἰκανότητι* instructus non sit, indignum esse judicat Chrysoft. *Hom. II. in cap. I. Ti.* qui muneris Ecclesiastico præficiatur. *Nisi hoc possit,* (contradicentes redarguere) omnia pereunt. *Nisi enim quis adversus hostes pugnare didicerit, & captivare omnem intelligentiam in obedientiam Christi, cogitationesque destruat, nisi severi sanam doctrinam, ut oportet, tradere, præcæ arceatur a sede Doctorum.* Nam alia quidem & in subditis invenire facile est, puta, esse sine crimine, filios habere subjectos, hospitalem esse, justum & sanctum. Ceterum hoc est, quod maxime Doctorem exprimit, posse scilicet verbis instruere, & confutare adversarios. Respicit huc Constitutio Electoralis de Stipendiis, c. IV. ubi omnibus illis, qui Electo-

rali

rali hac munificentia frui cupiunt, graviter injungitur, ut non in homiletica, vel togata tantum Theologia, sed polemica quoque vel sagata, operam hanc proletariam collocent, sequè pariter & Cathedra Ecclesiastica animanda, & obturandis oribus adversariorum preparent. Exemplo suo Servator ipse nobis præluxit, quippe qui magno zelo Phariseos & Sadducæos sibi contradicentes confutavit, & mediante ἐλέγγω ad fidei lenitiam redegit, *Matth. XXII, 22. 23. seqq.* Idem Salvator ejusmodi Tacitos, Mutos & Silios cum mercenariis, qui lupum videntes fugiunt, & oviculas deserunt, comparat, *Job. X, 12.* Fugisti, quia tacuisti, ex Augustino, inquit B. Kromayer *Loc. Anti-Syncret. p. 338. Coroll. de Tolerantia mutua.* Christum secuti sunt ipsi discipuli & Apostoli. Hinc disputabat cum adversariis suis Stephanus, cujus sapientia & spiritui, quo loquebatur, resistere non poterant, *Act. VI, 9. 10.* Quoties Divum Paulum Apostolum in arenam cum hostibus veritatis descendere conspiciamus? Multo magis ἐδουλεύητο, invalecebat & confundebat Judeos, affirmans, quod Jesus esset Christus *cap. IX, 22.* Qui Pseud-Apostolos quoque passim, præsertim in *Epist. ad Galat.* redarguit, quibus *cap. V, 12.* optat, ut absinderentur; In *Epistol. ad Philipp. cap. III, 2.* canes & malos operarios eos vocat, imo Angelis de Cælo, si aliud Evangelium prædica verint, quam prædicatum sit, cùm Deuca dicit, *Gal. I. v. 8.* Suo itaque nos exemplo, sunt verba B. Joh. Tarnovii in *Explicat. c. IV. Rom. p. 7.* docet Paulus, ita esse a ministris verbi ab Articulis fidei instruendos auditores, ut infirmioribus sua lenitate succurrant, rudioribus doctrina sua subveniat, & omnibus omnia fiant, ut illi sciant etiam, quæ sit cûssi Deo in genere, & quid fugiendum. Hæc de Elencho reali.

§. 25. Elenchum nominalem quod attinet, Filius Dei, aperte indicans, quod Nicolaitas odio habeat, in angelo Ecclesie Ephefine eundem probat, *Apo. II, 6.* Paulus Hymenam & Philetum perfringit, quod circa veritatem aberraverint, dicentes, resurrectionem jam factam esse, *2. Tim. II, 17. 18.* Imo eisdem, eo quod fidei naufragium fecerant, Satana tradit, ut maledicere desinant, *1. Tim. I, 20.* Sic Polycarpus Marcionem Primogenitum Satanae appellabat; (vid. *Cap. I. §. 25.*) Sic propriis suis nominibus alii hæretici insigniri ab Ecclesie Patribus & Doctoribus semper imo, anathematis fulmine nominatenus percelliti, consueverunt; Hinc Anathematisini Cyrilli in Nestorium, aliorum adversus Eutychem, Macedonium & alios: Ita Ananias se A-

rianis, *Augustinus* Donatistis & Pelagianis, alii aliis hæreticis in a seculo sese opposuerunt. Quorum laudabilia premere vestigia & hodie omnibus piis Ecclesiæ ministris competit, qui non tantum debent proponere, quæ vera sunt & sana, verum etiam improbare & refutare, corruptelas Pseudo-Doctorum cum sana doctrina pugnant, ut oves veram Pastoris vocem audiant, & aliena fugere moneantur, ne ex simplicitate & ignorantia non præmonita seducantur. Sane a Pseudo-Prophetis sedulo cavere nobis præcipit Salvator, *qui in vestitu ovium modo cavere sibi Auditores ab his lupis poterunt, nisi vivis isti coloribus depingantur? Qui in acie dimicant, magnopere student, ut insidias detegant, hostem a socio secernant, & omnes hostiles copias in conspectu habeant. Quod multum omnino refert ad reportandam victoriam. Quidni ergo sub vexillo Christi dimicaturis conducatur, facilius lustrare hostium examen, ducumque hostilium nomina, insidias, mores, doctrinam cognoscere?*

§. 26. Minime itaque audiendi sunt, qui vel inani spe pacis inter dissidentes circa religionem conciliandæ ducti, vel alii etiam de causis, vel sub tranquillitatis publicæ prætextu, id quod Pseudopolitici nimis familiare est, Elenchum plane omittendum sudent; Quem admodum olim Celeberrimus Argentinesium Theologus, Johann. Giesenius de horum molitionibus conquestus fuit, cum Amplissimo Reipublicæ Ulmenis Magistratu Commentationes suas de Zwinglio-Calvinismo fugiendo inscriberet: *A filius hujus seculi, inquit, quæstio movetur, annon novus sit Verbi Doctoribus præscribendus docendi modus, & abrogandus illo, qui hæcenus in bene constitutis Academiis & Ecclesiis fuit receptus? annon præstet simpliciter veritatem docere, missis disputationibus & sectariorum nominibus? Annon commendandum sit in Christi discipulis moderationis & mansuetudinis studium? Beati miter, Beati pacifici, dicit Christus, Matth. V. 9. Num pertrahatio personalium edificet? Sed, addit Theologus beatissimus, latet anguis in herba. Hoc queritur, ut lata erroribus disseminandis via aperiantur, & aversæ pertrahatio a cathedris Theologicis exulet. Vide eandem querelam graviter repetentem Magnific. nostrum Carpzov. in Dissert. Apologet. pro Dissert. in Aric. Vistit. A. 1697. hab. statim ab initio; Et adde Eiusdem dissertat. de Opodoctæ & dogmatibus in Ecclesiâ Ministris*



nistro requisita, in Tit. 1, 9. A. 1688, ventilatam Cap. II. Por. V. p. 30. ubi  
 τὰς ἐξ ἐναντίας utriusque ordinis abunde satisfacit; Et in *saustis* quidem  
 Pacificatoribus post *Witebergens. Theologorum Epicrisin de Colloquio*  
*Cassellano, & Antapologiam, cap. ult. & B. Kromayer. dissert. de Elencho*  
*non intermittendo* legendam commendat; Filiis autem, quos B. Gifeni-  
 us nominat, *bujus seculi ea, quæ πολιτικός Sockendorffius vix ἐν*  
*ἐλλοίς* annotavit in *Christen-Staat. Addu. III. X. 3. p. 355.*

§. 27. Facere huc putes egregia B. Feurborn. monita, qui-  
 bus *Opp. Theol. p. 14. 45.* Officium Elenchticum ad normam solius  
 Sacrae Scripturae infallibilem instituendum esse præcipit, & postquam  
 pluribus Scripturae testimoniis hoc confirmasset, tandem concludit:  
*Homines igitur Politici, vel etiam alii, ex suo arbitratu privato non de-*  
*bent præscribere leges, quomodo Theologi & Ecclesiastæ officium Elench-*  
*ticum, quippe quod est ipsius Spiritus S. Job. XVI, 8. exequi debeant.*  
*Sic ἐλεγχος Verbo Divino potius conformis, & tendat ad DEi gloriam,*  
*& hominum adificationem, 1. Cor. X, 31. & XIV, 26. Atque sic res erit*  
*in vado. Et hæreses Rhetorianorum, qui affirmarunt, omnes hæreticos*  
*recte ambulare, & vera dicere, August. Tom. VI. de hæresib. ad Quod*  
*vult DEum, hæres. LXXII. p. 13. & similes errores penitus corruent. Confet*  
*Eundem p. 1036. §. II. ubi docet, non pietate & probitate vite, uti qui-*  
*dem volunt, ἐλεγχον esse instituendum, sed redargutione errorum &*  
*falsa doctrina, eumque pervenire non ad moralia, sed doctrinalia. Quis*  
*enim neget, inquit, quemlibet Episcopum, de hoc etiam ἐλεγχον,*  
*utpote divinitus sibi commutato, DEO, qui & eo colitur rationem*  
*reddere teneri? Quibus verbis sat emphaticis hanc de Elencho medi-*  
*tationem Vir piensillimus obsignat. Memineritis ergo, quos Myste-*  
*riorum suorum Oeconomus DEus constituit, rationem aliquando*  
*vobis de Elencho vel intermisso plane, vel non dextre & ad volunta-*  
*tem Domini Vestri adhibito, severo vivorum ac mortuorum Judici,*  
*reddendâ esse. Quare, Vos fratres & Patres mei, qui olim sustinebitis cu-*  
*ra Ecclesiarum, sitis armati & instructi, non solum ad docendos & exhor-*  
*tandos bonos, qui recte sentiunt, ad fidem, sed etiam ad pugnandum*  
*& arguendos adversarios. Quæ B. Lutheri nostri Tom. III. Lat. p.*  
*450. parænesi ad omnes eos, qui Sacris operantur, vel operari aliquan-*  
*do intendunt, hoc consiliarium sinit.*



BEATITUDO  
PORISMA VI.

*Nec omnis tamen pax & Concordia iis, qui in doctrina a nobis dissentiunt, est deneganda.*

§. 28. Licet enim Pax & concordia Ecclesiastica iniri cum talibus salva veritate ac conscientia non possit; sunt tamen alia pacis species, quæ minime ipsis veniunt invidendæ. Fluit hoc omnino ex Textu nostro, in quo beati a Salvatore Pacifici prædicantur. Veri enim Christiani est pacate cum omnibus hominibus vivere, omnibus humanitatis quævis ac benevolentia officia exhibere. Quemadmodum præcipue tribus illis famosis Religionibus addicti, Lutherani, Calviniani ac Pontificii in Imperio Romano-Germanico per Pacificationem Osnabrugensem ita uniti sunt, ut æquali jure omnes potiantur, neque hujus religionis homines eos, qui alteri adherent, ob publicam fidei suæ professionem sedibus pellere, aut religionis exercitio interdicerere queant. Cautum hic est de concordia & pace politica, licet non de unione & pace Ecclesiastica, quæ obtineri, quamdiu dissensus in fundamentalibus doctrinae capitibus maneat, nentiquam potest. Imo plus adhuc dicimus; Non pacate in Politia tantum modo versandum cum iis, qui diversum a nobis in doctrina & fide sentiunt, sed charitatem quoque & amorem in eadem omnino deberi. Pertinet enim huc distinctio Apostoli inter charitatem fraternam & communem, 2. Pet. 1. 7. Inter Φιλὰδελφίαν & Φιλίαν ὁμοίων. Hanc omnibus in universum hominibus vult exhibendam esse; Illam vero fidei tantum fratribus & confortibus. Quare nec hostibus veritatis communem denegamus charitatem, cum omnes homines, ipsi etiam inimici, sint diligendi. Nemo est in genere humano, cui non dilectio, etsi non pro mutua charitate, pro ipsa tamen communis natura societate, debeatur, inquit Augustin. Epist. CXXI. ad Probum, cap. VI. Et Lib. I. de doct. Christ. c. XXVII. Omnis peccator, in quantum peccator, non est diligendus: Omnis autem homo, in quantum homo, diligendus est propter DEUM. Quid multis? Diligite inimicos vestros, præcipit Salvator, Matih. V, 44. Unde Lutherus ipsiusque Collegæ in Colloquio Marpurgensi Zwinglium & socios, quos in errore præcipue de S. Cœna persistere animadvertabant, heterodoxis licet cæteris rejectis, pro fratribus agnoscere noluerunt; uti nec Jacobus Andrea in Montisbelgardensi Bezae dextram fraternitatis



tatis & *novitas* (quam Petrus, Jacobus & Johannes Paulo & Barnabæ dabant, Gal. II, 9.) præbere: Licet ad *humanitatis* dextram porrigendam, charitatemque communem exhibendam utrobique essent quam promptissimi. Vid. Magnif. Carpoz. nostrum *Comment. in 2. Epist. Job. vers. 4. 5. 6.* inserto *Opp. Theol. B. Rappolti, Porism. 1. pag. 641. seqq.*

S. 29. Distinguendum insuper putamus inter *peritines Doctores*, & *simpliciores Auditores*; Cum certum omnino sit, longe *puriores* sæpenumero esse *Aures Audientium*, quam *laba docentium*. Plures illorum in mysteria iniquitatis nondum penetrarunt. Hinc fide simplici verbum DEI admittunt, & pie juxta illud fidei Articulus recipiunt. Quemadmodum ipse aliquoties audivisse me ex ore ejusmodi hominum, cœtui partim Pontificio, partim Calviniano alias addictorum, memini; Nil sibi *commercii cum idololatria & figmentis illis Ecclesie Romane*, quæ *Auctorem Papam agnoscant*; Se in unum & verum DEUM credere, eumque solius Christi merito placatum religiose invocare; Sanctos demortuos non adorare, sed honorare tantummodo & in pretio, ut *amicos DEI*, habere; *Doctrinam de Purgatorio* nihil quoque estimare, in propriis suis operibus plane non confidere, &c. Item, nunquam audivisse se, quæ confessio nonnullorum Reformatorum est, quicquam de *Prædestinatione*, & horrendo illo *reprobationis & Electionis decreto absoluto*: De DEO, quod sit *causa peccati*, & aliis, quæ alias in Doctores Calvinianis damnamus, βδελύμασι: Cæteroque paratos in os contradicendi Doctore blasphemam ejusmodi & impia dogmata eructanti. Cum talibus quis ambigat pacem Ecclesiasticam inire, ipsisque non *communem* modo charitatem, sed *fraternam* quoque exhibere?

S. 30. Ulterius distinguendum esse dicimus *inter integras Ecclesias*, & certos *Ecclesiarum Doctores*, doctrinæ falsitate alios *seducentes*. Illis non ἀγάπη tantummodo, sed Φιλαδέλφειαν quoque nos debere asserimus, scientes, quod & in corruptissimo Ecclesie statu sibi DEUS quosdam colligat, 1. Reg. XIX. 18. *Reliqui mihi in Israël (Ecclesia heterodoxa & corrupta) septem millia Virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Bæal: hos vero spirituali nostra fraternitate indignos ex rationibus supra citatis judicamus. Suo exemplo hæc nobis prævivere Confessores pientissimi, qui circa condemnationem*

dogmatum hæreticorum ita caute versati sunt, *Form. Concord. prefat. p. m. 20. 21.* ut integras Ecclesias, & omnes ac singulos in iis degentes neutiquam damnandos esse existimaverint. *Nequaquam*, inquirunt, *consilium & institutum nostrum est, eos homines, qui ex quadam animi simplicitate errant, nec tamen blasphemii sunt in veritatem doctrine celestis, multo vero minus totas Ecclesias, quæ vel sub Romano Imperio nationis Germanicæ, vel alibi sunt, damnare.* Quin potius mens atque animus noster fuerit, hac ratione fanaticas opiniones, & earundem pervicaces Doctores & blasphemos duntaxat palam reprehendere & damnare, quod illi errores expresso verbo DEi repugnent, & quidem ita, ut cum eo conciliari nequeant. Et paucis interjectis: *Nequaquam enim dubitamus, multos pios & minime malos homines in iis etiam Ecclesiis, quæ hætenus non per omnia nobiscum senserunt, reperiri, qui simplicitatem quamquam suam sequantur, & negotium quidem ipsum non probe intelligant, sed blasphemias, quæ contra S. Cœnæ evomuntur, nullo modo probent. Vide sequentia lectu & notatu omnino dignissima. Quod, si prolixioribus nobis esse liceret, unius etiam atque alterius Doctoris privati calculo probari ulterius posset.* Quæ mens B. D. David. *Chytraei* in concinnanda *Form. Concord.* fuit, eandem & postea retinuit. Ita enim ille in *Epistolis Hanoviae* editis p. 1007. *Nec Ecclesias Gallicas, Anglicas, Scoticas vel alias unquam damnari, vel condemnandas esse censui. Et si enim Eucharistiam vere & substantialiter presentis cum pane & calice benedicto corporis & sanguinis Christi non credidi esse sentio, & cum Augustinæ Confessione contrarium dogma improbo; A sit tamen, ut ulla Ecclesia, Princeps aut populus dissentientes propterea condemnandos, aut Diabolo tradendos, &c. esse statuam, &c. Mitissime etiam de ejusmodi vel ex quadam simplicitate, vel incertitia a veritate aberrantibus, B. Hülsemannum nostrum sentire constat ex *Disput. de Dogmatibus ad salutem credituræ necessariis*, quam ipse beatus Vir, *responsione ad Epistolam Johannis Durai* p. 406. suis olim in *Academ. Wittenbergenf. Præceptoribus*, & nominatim B. Balduino Disputationis hujus Præsidi, probatum fuisse dicit. Hic sane §. 16. *ejusmodi homines errare, dubium nullum esse, dicit: exitiâliter errare, maximum; eorû, salute excidere, affirmare non audeat.* Lubens jam prætereo alios. Unicum tamen adhuc, qui omnia, quæ adduximus hætenus, complexus breviter fuit, *Christiænam Sincerum*, quem se vocat, *Heideggeri Manuductionem in* *Am**

Con-

PACIFICORUM.

62

*Concord. Eccles. supr. cit. oppugnantem audire iuvat; Qui cum sedu-  
ctores inter Calvinianos, & perversos Doctores rejiciendos esse & hæ-  
reticos damnandos dixisset, tandem subjicit: Alios omnes, summos,  
medios, imos, qui id seducendi studium, animum veritati obversum non  
habent, rectius edoceri nondum sunt, neutiqvam damnamus, sed invita-  
mus serio & precamur, ut veritatem amplius explorent, seq. eripi-  
fiant a perversis Doctoribus, ut Act. II, 40. Petrus monebat. No-  
strum bodienum esto Reverentia & charitatis officium, quod Confesso-  
res Presb. laudatis, ad condemnationes, amanter, pie contestantur,  
sperant ac rovent. Et hoc ipso flagrantissimum cum omnibus homi-  
bus pacate, etiam in negotio fidei & religionis vivendi desiderium,  
satis superque orthodoxi demonstrant. Id quod Consecratio sequente  
paulo latius erit deducendum. Esto itaque*

PORISMA VII.

*Pax & Concordia Ecclesiastica, si non obtinenda, omnibus tam-  
mon votis totis circumlocutionibus est expetenda atque desideran-  
da.*

*§. 31. Actum in antecedentibus de variis Pacificatoribus fu-  
it, quos serium tenuit studium in religione dissentientes conciliandi.  
Verum studium perversum & præposterum, eo quod media arduo  
huic negotio idonea non fuerint adhibita. Nos pacis quoque vel ma-  
xime studiosi sumus, idque ex mandato & elogio Salvatoris, in nostro  
præcipue Textu. Quo enim quis observantior Dominici de pace co-  
tenda mandati, eo ardentius pacem desiderat, quæ verba sunt Dn. D. Joh.  
Simonis, Theol. Profess. in Academ. Francofurt. in Dissert. Quomo-  
do ratio a Reformatis in Theologicis usurpetur? Hinc Pace Ecclesie  
astica, ejus verbis ulterius utimur, ut tandem terminetur diuturnam  
Evangelica religionis dissidium, optarunt pii ubique. Imo & nos ad-  
huc dum hoc ipsum pie indefinenter optamus atque precamur, nec  
unquam vel Reformatis, vel aliarum sectarum hominibus concedemus,  
majori illos, ac nos quidem, pacis & concordie obtinendæ teneri de-  
siderio. Novimus equidem, quæ objici nobis ab iis soleant, qui fra-  
ternam contestationem inter partes dissidentes exigunt; Nos osoræ  
Pacis ipsi audemus; Pertinax nobis concordia fastidium tribuitur, Re-  
formas-*

formati patris studio alius antecellere dicuntur; Pacem subinde serio  
 quæsiisse, quandoque etiam invenisse, quæ tamen non ubique recepta  
 sit, cum equali studio omnes hæc quæsiwerint; Et qui plures alii ac-  
 cusationum nostræ Ecclesiæ Doctorum hosculi sunt. Verumenim-  
 vero respondemus nos cum Hieronymo: *Voluntus & nos pacem, &*  
*non solum volumus, verum etiam rogamus: sed pacem Christi, pacem*  
*veram, pacem sine inimicitis, pacem, in qua non sit bellum,*  
*involutam, pacem, qua non adversarios subjiciat, sed in ami-*  
*cos jungat. Veram unionem Ecclesiasticam, inquit Dn. D. Mafius,*  
*Interessu Princip. circa Religionem Evangelicam Cap. VII. S. 1.*  
*p. 168. seq. quis non votis quotidianis expeteret? Quis non etiam san-*  
*guine suo emptam vellent Christianus? Ex quo enim rupta, & in vari-*  
*as partes lacerata est Tunica Christi inconsutilis, Christianam Religio-*  
*nem puto, multa inde scandala & Ecclesiæ Christi detrimenta emerferunt,*  
*omni commemoratione & lectu majora. Super sedeo exscribere, quæ*  
*sequuntur, lectu omnino dignissima. Idem a B. Luthero nostro ad-*  
*versariis suis, qui odii pacis & concordie subinde ipsum instimula-*  
*bant, multoties responsam fuit: Ich will dem Widertheil*  
*den Ruhm mit Wahrheit nicht lassen / (ob GOTT will)*  
*daß sie mehr zum Frieden und Einigkeit geneiget wären!*  
*denn ich. Et quemadmodum à deo de se in nota illa controver-*  
*sa, nunc autem per DEi gratiam sopita, dicere solebat: Modestus sum,*  
*Pacificus, aqvi & iusti amans, veritatis Divina scrutator, & qui pro*  
*summa lege gloriam DEi, & bonum Ecclesiæ habeat; Idem in Mega-*  
*landrum nostrum optime quadrare omnes mecum fatebuntur, qui*  
*rem recta iudicii lance trutinare didicerint. De modestia & mode-*  
*ratione B. Viri, qua erga adversarios, quamdiu fieri id potuit, usus fu-*  
*it, Porism. seq. si quidem chartæ angustia hæc capiet, quædam erant*  
*monenda. Taceo jam, vehementiam nonnunquam & Divinum fer-*  
*vorem, non odii pacis servandæ, sed amoris atque desiderii pacis &*  
*concordiæ promovendæ, esse indicium. Ideo enim pugnamus, ut*  
*pacem obtineamus, & quo quis pacis amantior, eo hostis eorum acri-*  
*or, quæ paci sunt contraria. Hæc itaque omni studio ac contentio-*  
*ne removenda, & legitima atque idonea concordie ac paci firmandæ*  
*media a pacis studio quærenda sunt ac sectanda. Id quod in se-*  
*quentibus aliquanto fufius demonstrabitur. Pergimus itaque ad*

## PORISMA VIII.

*Media atque Admunicula pacis tum obtinenda, tum retinenda,  
rã ep̄m̄oioq̄ semper observanda sunt.*

§. 32. Necessarium hoc admodum monitum, & a pluribus neglectum, ingens sæpenumero damnum intulit Ecclesiæ. Quemadmodum enim in rebus fidei adversariis plane nihil concedendum: cum nostra non sint, de quibus litigatur, sed Domini nostri, vad. quæ *Porism. IV* monuimus; Ita sine causa nonnunquam contentiois ferratrahitur ab importunis quibusdam & rixosis hominibus, qui, si media pacis observare velint, pervenire ad pacem & concordiam, eamque promovere facili negotio possent. Fluere hoc altercandi studium ex diversis fontibus, si rem recte pensitemus, animadvertimus. Sunt, quæ nil nisi rixas meditantur, (1) *ex odio & animi impotentia, calumniandiq; libidine.* Hinc est, quod B. David Chytræus in *Præfat. libelli egregii de morte & vita æterna p. lit. de infelicibus suorum temporum contentionibus & rixis* queritur, *in istis nimirum haut doctis d. his certari sed maledictis.* Uti B. Vir hoc modo se ipsum met ab adversariis suis exceptum fuisse, & imprudentibus & procacibus improborum calumniis oneratum, eodem loco memorat. Idem B. Wigandus in *Tract. Germ. von der Lieb- & Sünde / lit. G. 1.* sibi evenisse, & crimen novitatis impactum fuisse, cum P. O. accidens esse dixisset, refert. Eadem de causa B. Myliusia *Volum. Dissp. Theol. Dissp. XVI.* peculiarem *Apologitium* scribere necesse habebat; *adversus ea, quibus fides & doctrina sua sædis criminationibus impugnata erat.* Sibi enim uti & B. Hunnio ac complicibus eorundem imputatum esse dicit *pag. 309.* *quod, quotiescunque unam vel alteram philyram typis evulgent, semper aliquid novi dogmatis proferant; Unde gravis conjectura sit, eos in his, quæ coram tradunt, quæq; typis non concedant, multa ejusdem generis emittere, quæ in aliorum notitiam non veniant.* Itaque de injuria & criminatione *xawodoxiæ* aut *xawodoyuatiæ* testem judicemque esse voluit B. Mylius Ecclesiam, eam compellavit, & ad eam provocavit. Fontem, unde hæc omnia fluxerint, insimul aperit B. Vir, dicitque factum hoc esse *ex mero aliorum Theologorum odio, sumptiq; supercilio impotentia.* Et hoc est, quod ulterius monere nos volebamus, *provenire nempe hoc rixandi & altercandi studium (2) ex superbia & ambig;*

*ambitione ac vana gloriola cupiditate.* Cum enim alia ratione se inclarescere posse quidem desperent, nisi adversarium sibi quaerant, in quo, quid prestare valeant, orbi erudito manifestum reddant, litibus ad se nihil pertinentibus sese immiscent, scioli superbiamque typho inflati; similes oppido Johanni Islebio Agricola, Antinomorum Anti-Signano, qui magnas vivente adhuc Luthero turbas in Ecclesia dedit circa legem, quam e templis atque suggestis plane exterminandam esse blaterabat. Omne hoc ex ambitione & inclarescendi pruritu proveniebat. *Es war dem Nürngen nur um seine Ehre zu thun. Er wollte auch groß und berühmt sein. Luther sollte nicht alles allein gethan haben.* Uti notum de eo B. Lutheri iudicium. Hinc quasi forex seipsum prodebat, subinde ingeminando: *Ego cupio etiam aliquid esse. Est humanus dies: Ego perumpam.* Et quae aliae hujus hominis erant ineptiae. Vid. B. Carpov. *Isag. in Libr. Symb. p. 1351.* Alios porro litibus serendis operam dare invenias, ductos (1) ἀνδράκων & contradicendi studio, qui Sophistarum naturam induunt, & occasionem pugnaendi captant ex formulis loquendi minus caute ab aliis adhibitis, quae licet vel centies explicentur commodissime, ut nihil vel falsi, vel heterodoxi in illis latere manifeste deprehendatur; illi tamen in carpendis & traducendis his, quos sibi semel imaginati sunt, adversariis pergunt, contentionisque ferram sine fine trahunt. In aliis (4) ἀνδράκων & turpem φιλαυτίαν animadvertere licet, qui nil resatum, sanum & orthodoxum arbitrantur, nisi quod ab ipsis tale iudicetur; qui soli sibi sapere videntur, φρόνιμοι παρ' ἑαυτοῖς, Rom. XII. v. 16. Reliquos omnes bardos, fungos, stipites habentes, eos praesertim, qui sputum ipsorum lingere, seque ipsis profusus mancipare recusant. Hinc intolerabile ipsis penitus est, ab ullo mortaliū sibi contradici, tantum abest, ut herbarum cuiquam porrigere sustineant. Sie haben das geringste nicht nach / in rebus puta fundamentum fidei plane non attingentibus. und sollte das Streiten / Schreiben und Schmieren bis ans Ende der welt währen. Atque tales quidem Haberechtios, qui abominando hoc φιλαυτίαν ac φιλονεικίαν vitio laborant, plures ubique invenies. Unde tot replicas, duplicas, triplicas, & quas plias non? conspiciere nobis hinc inde haec. Et hoc est, quod anima mea, quid? quod anima DEI, qui est DEus pacis, de-



PACIFICORUM.

testatur, va illud horrendum ejusmodi Pacis oforibus denuncians, *Jes. V, 21.* Adhuc alios hic peccare videas (5) *ex imprudentia*, qui nullam plane habent rationem circumstantiarum, vel temporis, vel loci, vel rerum, de quibus litigatur, non pensantes, in omnibus quaestionibus verae Ecclesiae membra ut consentiant, necesse non esse, nec in Ecclesia militante concordiam illam, quae triumphantis est propria, omnisque dissensionis & contradictionis expertem, obtinere. Probenim haec distinguendum esse jubet B. Gerhardus noster *L. de Ecclesia* § 23. n. 7. *inter unitatem absolutam, perfectam & dissensionis omninesciam, quae in Ecclesia triumphante deum habebit locum; Et inter Unitatem fundamentalem, quae in consensione principalium Articulorum consistit. Licet de nonnullis fidei capitibus minus principalibus, vel de ceremoniis adiaphoris, vel etiam de interpretatione quorundam Scripturae locorum controversiae incidant. Ac talis est illa unitas, inquit o μακαρίτης, quae in Ecclesia militante locum habet, in ea enim nunquam reperitur tanta concordia, quin dissensionibus quibusdam sit permixta.* Confer, quae in hanc rem plura in sequentibus egregie dicta habentur. (6) *Ἀκαδευσίας* denique plurimorum hic cohibendam esse dicimus, qui minus caute loquuntur, non tenaces phrasum in Ecclesia receptarum, ὡς ποτὶ πῶσιν ὀργανῶντων λόγων prorsus negligentes, moniti Apostolici immemores, 2. *Tim. 1, 13.* atque adeo occasionem aliis suppeditant ipsis contradicendi, utpote suspectis de sua ὀρθοδοξία; Ita enim evenire plerumque deprehendimus, ut novae phrasae novae se cum a tergo apponent opiniones, imo haereses.

*Qui fingit nova verba, simul nova dogmata gignit.*

Bene itaque B. Gerhard. *Disp. Academ. p. 833.* observat, ex libero novarum & insularum phrasum usu corruptelas doctrinae esse oriatas, Conf. Dni. Theol. Witteberg. *Consil. Tom. I. f. 899.* Longum hic foret recensere, quae inter Orthodoxos & Arianos olim hoc quidem in negotio contigerint: Quid de Dionysio Alexandrino Basiliius conquestratur, quod is sparserit in libris suis per novam phraseologiam seminaria impietatis: Quas denique turbas superiori & nostro saeculo phrasae dubiae & minus consuetae loquendi formula dederint. Nos cum Theologo Celeberrimo Dn. D. Rangone *Orat. de dolis ac fraudibus Pseudo-Theologorum*, (ubi multa egregia hanc materiam illustrantia invenias;) p. 16. constantes tenemus, *ambiguus insidiosusq; verborum*  
*& phrasae*



eloquamur, procul a nobis absit pertinacia ac obstinatum incommo-  
de dicorum patrocinium; Nec occini nobis oporteat illud Claudia-  
ni Mamerti, Episcopi Viennensis *Lib. 1. de stat. anim. cap. 1. Quentiana*  
*humanis per imprudentiam lapsi sunt, eligunt audaciam culpa sua per-*  
*vicaci obstinatione defendere, ne videantur potuisse peccare; Aut quod*  
Donatistis exprobrat Optatus Milevitanus *advers. Parmen. Lib. 11.*  
*Nullus vestrum est, qui non convicia nostra suis tractatibus misceat, qui*  
*non aliud inicit, aut aliud explicet. Lectiones Dominicas incipitis, &*  
*tractatus vestros ad nostras injurias explicatis. Profertis Evangelium,*  
*& facitis absenti fratri convitium. Auditorum animis infunditis odia,*  
*inimicitias docendo suadetis, &c. Imitemur potius Divi Augustini me-*  
*thodum, qui (1) veram sumpsit sententiam ex verbo Dei, (2) suas sen-*  
*tentias incommode dictas retraxit, (3) aliorum minus recte dictas*  
*verecunde notavit, (4) quadam dicta Patrum commoda interpretatio-*  
*ne mitigavit, (5) quæ mitigare non potuit, diserte rejecit. Vid. Chemnit.*  
*Loc. Theol. Part. 1. p. 515.*

§. 33. Animus hic erat pluribus hoc argumentum prosequi,  
& alia adhuc pacis & concordie servandæ impedimenta adducere;  
sed cum sub manibus pagellas excrefcere nimis animadvertam, vela  
omnino contrahenda nobis esse arbitror, nihilque amplius addo, nisi  
quod modestiam & animi moderationem in non paucis desiderem, quæ  
optimam sæpè numero causam, dum mentis suæ atque affectuum in-  
temperiem sequuntur, produnt, imò penitus perdunt. Egregia &  
nunquam intermoritura laus est, quæ uti in omnibus, quæ laudari  
in mortalibus merentur, ita hac etiam in parte, Theologo beatissimus,  
magnus Geicrus sibi acquisivit. Loquatur pro me B. Zieglerus de Cle-  
rico Renitente *præfat. ad Lectorem*, in qua summis hunc Theologorum  
Principem ornat encomiis; e quibus unum tantummodo atque alte-  
rum flosculum excerpisse sufficiat. *Nihil ejus, inquit, ingenium habe-*  
*bat arrogantia, nihil bilis, nihil supercilii, neque atra lolliginis quic-*  
*quam; sed admirari oportebat mores tam candidos facilesque, & sin-*  
*gularem quendam rerum omnium fluxarum contemptum. Si quando*  
*circa religionem controversie agitando & evodando erant, non convi-*  
*tiis suos proscindebat adversarios, quod hodie fere solenne est quibusdam,*  
*sed Augustini methodum, quam ille in libris contra Cresconium præscri-*  
*pserat, secutus, &c. Et hæc omnia placide admodum, atque sine animi*  
*com-*

commotione. A conviviiis autem & maledictis non tantum abstinerebat ipse, sed ab aliis etiam, si congesta fuissent, summo afflictebatur dolore. Desiderari aiebat, quod ipse ex ejus ore accepi, inter quamplurimos Theologos charitatem Christianam, & mutuis contumeliis extinguere eam profusus, agere ferebat. . . . Non solum vero Christi Salvatori gratius putabat Geierus noster, sed etiam ad provehenda rectiora studia concubicilius, si moderatis rationibus placarentur reclamantes, & solo gladio spiritus, quod est Verbum Dei atque armis Apostolicis vincerentur. Semper ei ob oculos versabatur illius lenitas, qui cum solus omnium vacaret omni errore, non tamen extinguit lincum fumigans, nec baculum fractum comminuit. In animo habebant Divina Apostoli monita de mansuetudine, erga omnes exercenda, & dilectione etiam eorum, qui graves adversus nos gerunt inimicitias. Tenebat memoria, itemque meminerat, plus valuisse in veteri Ecclesia Doctorum modestiam, quam nullus injuriis agitatam, & acri vehementiq; incitatione inflammatam disputationem. Sic igitur ipsos primos Ecclesia Christiana presceltos amirabatur, quos Apostolus Paulus ita instruxerat, ut cum omni mansuetudine docerent, non alienantes quenquam morum & orationis asperitate, sed mansuetudine vincentes etiam morosos. Temperare mihi non potui, quin ista, pluscula licet adduxerim, cum presens negotium non tantum mirum in modum illustrent, sed etiam merita hujus Viri Divinissimi in universam Jesu Christi Ecclesiam, immo memetipsum, in memoriam mihi revocent. Sit recordatio hujus justii, sit universa ipsius Posteritas & Cognatio in aeterna benedictione!

( Proverb. cap. X, 7 )

§. 34. Sed ex hoc diverticulo ut in viam redeamus, hoc volumus monere; Tales virtutes, quæ in B. Geiero celebrantur, si omnibus iis, qui in Divinis Oraculis explicantis suam ponunt industriam, inessent, desperandum minus fore de Pace & concordia Ecclesiastica cum adversariis nostris ineunda; Presertim cum accederent devota preces ac suspiria pro conversione errantium, seductorum & persecutorum, quorum poenitentiam & salutem in Litanis ardentissime expetimus: Si conjuncta denique hæc omnia essent cum sincera proximi, etiam in doctrina a nobis dissidentis, dilectione, ardenti ejus convertendi desiderio, leni atque mansueta cum eo, ac ubi occasio tulerit, conservatione, placidaque infirmitatum ipsius, quantum quidem

dem absque dispendio veritatis fieri potest, *tolerantia*. Certissime enim mihi pervadeo, hanc & non aliam esse viam perveniendi ad tot votis atque desideriis expetitam concordiam Ecclesiasticam & fidei unitatem.

§. 35. Et hæc sunt mea quælibetque *Consilia pacifica*: *Veritatis hostes diligamus, omnia humanitatis officia ipsis exhibeamus, veritatem monstremus, quamcumque errantes in viam reducere occasionem captemus, errores detegamus, idque cum mansuetudine, sine amarulentia refutemus, ardentem pro miserorum conversione apud Deum intercedamus, totumque arduum hoc negotium ei, qui non vult alios perire, sed omnes ad penitentiam reverti, 2. Petr. III, 9. committimus; Hic Spiritu suo S. omnes ac singulos, qui Christi nomen gerunt, illuminet atque regat, ut in vera fide & charitate unanimes idem sapiant, idem sentiant, idem loquantur, idem agant, atque una æternam salventur, per unicum atque æternum Salvatorem nostrum Jesum Christum, Amen.*

## PORISMA IX.

*Uti per alia Bona Opera; ita & per Pacis studium, nihil apud Deum promeremur.*

§. 36. Directa hæc thesis est *contra Pontificios*, qui studio pacis consequi nos dicunt jus filiationis apud Deum, indeque ulterius colligunt, Bona nostra Opera justificare, immo vitæ æternæ esse meritória. Ita enim Estius in *b. l. Pacificis deberi regnum Cælorum dicitur & beatitudinem*, licet ad ejus possessionem non prius admittantur, quam vitæ hujus cursum peregerint. *Quod nata*, addit, *contra eos, qui negant opera justorum mereri vitam æternam, nisi ratione perseverantia*. Sed ad hanc Papicolarum objectionem supra jam responsum a nobis fuit, quando observandum esse monuimus, pacis studium vel pertinere ad *Articulum de conversione & justificatione*, vel ad *Articulum de renovatione & sanctificatione*. Si ad illum referas, utique jus filiationis apud Deum, eique annexam vitæ æternæ hereditatem consequimur, quando paci studemus, cumque Deo vera penitentia & fide in Christum pacem facere laboramus; Fide enim, quæ potissima penitentiae pars, filii Dei constituimur: Si vero ad

70  
BEATITUDO

*hunc*, puta ad Articulum de renovatione, respicias pacisque studium ut opus nostrum consideres, tunc *visio* nostra illi plane non adscribenda erit. Non enim studium pacis est causa faciens & constituens filios Dei, sed *signum & effectum* est filiorum Dei, quo se jam esse filios Dei demonstrant; Illius, inquam, qui pacis est Deus, cujus imaginem illi representant. Sunt itaque Pacifici credentes, qui jam ante habeant jus adoptionis filiorum Dei fide in Christum, *Job. I, 12.* Studio autem pacis censentur & agnoscuntur filii Dei. *Non enim vedimur demum bene operando filii Dei, sed ante facti filii bene operamur.* Conf. Prückner, l. c. f. 36. B. Hunnius Tom. I. Opp. Lat. p. 640. & Tom. III. p. 90. seqq. Imprimis vero de B. Rappolt, Opp. Theol. p. 257, seqq. 258. in 1. *Job. II, 29. Parism. III. & c.* Adde Theologos nostros passim de B. O. eorumque meritis. Nobis impraesentiarum prolixioribus esse non licet. Receptui potius jam canimus, ac progredimur ad ultimum &c.

PORISMA X.

*Magna est felicitas, esse filium DEi.*

§. 37. *Beatitudo* ab ipso Christo prædicantur filii Dei. Immo omnis felicitas ac beatitudo ortum inde ducit, & fluit ex filiatione, hac apud Deum. Confer, quæ supra explicatione *Cap. I. §. 17.* diximus. *Videte, quam charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur,* inquit Iohannes, *1. Epist. III, 1.* Attollere jubet mentes nostras ad expendendam magnitudinem ac excellentiam & charitatis Divinæ, & dignitatis atque felicitatis nostræ, quam talem ac tantam esse ostendit, ut describendæ illi nulla humana eloquentia par esse queat. *Certe hoc titulo, quo filii Dei nominamur, non alig sub celo vel augustior, vel magnificentior obtingere potest fidelibus, quo etiam dignitatis privilegio majestatem omnium Monarcharum immenso plane intervallo transcendunt.* Vid. B. Rappolt: l. c. p. 254. seq. Hinc stupidum & insensatum esse eum oportere, dicit Salmero *Tract. XXIII. Tom. V. de sermone Christi in monte p. 130.* postquam honorificum plane & amplum hoc nomen filiorum Dei prædicasset *prac. p. 123.* qui tante gloria affectu non tangatur, qui titulum tam illustrem non affectet, qui ad præmium tam pretiosum non contendat. *Curemus ergo,* ita concludit Salmero, & nos una

una cum ipso, ut, quæ pacis sunt, sectemur, & quæ adificationis sunt, invicem custodiamus, ut tanto nomine appellari digni simus. Hoc ipsum desiderium & affectum tribuente nobis Domino nostro Jesu Christo, cui sit laus & gloria in secula nunquam terminanda, Amen.

§. 38. Plura ex brevissimo Textu nostro educi poterant consecratoria & pertractari; Ne tamen pagellarum numerus nimis excresecat, denarius hic impræsentiarum sufficiat. Perginamus itaque ad.

## CAP. III.

*Homiletico-Practicum.*

Idque ob dictam rationem paucissimis expediemus, primas saltem lineas ducturi eorum, quæ diduci facili negotio ab aliis poterunt. Cum vero, quæ ad Genus Didascalicum & Elementicum pertinent, præcedo. Cap. II. fuisse pertractata sint, breviter jam, quæ genus Epanortoticum, Padeviticum & Paracleticum, sibi vendicant, erunt annexenda. Esto ergo *Uusus*.

§. 39. *Padeviticus*, qui sequentes paræneses in memoriam nobis revocet. Cum beatus Christus prædicet Pacificos; Ergo pacis studeamus, pacem sectemur; pacem servemus, cum Deo & nobismet ipsis, vera poenitentia, fide & vitæ sanctimonia: Cum hominibus, neminem offendendo, nulli rixandi ansam suppeditando, pacem quærendo, si amissa fuerit, redintegrando, pacem inter alios constituendo, conservando, aut ut conservetur, sedulo prospiciendo, &c. Vide, quæ supra Cap. I. §. 14. de Pacificis dicta sunt; ut filios DEI deceat, cum pacifici sint filii Dei, vivamus, ut filii Dei non tantum nominemur, sed etiam simus, & ut esse cognoscamur, laboremus, visitemur, Deum magis affinemus, deque ea gaudeamus, operamque demus, ne ea unquam excidamus; Patrem nostrum, qui in Cælis est, honoremus, studio pacis & aliarum virtutum, imitemur; Ac tandem, cum beati sint pacifici, æternam pacem ac beatitudinem desideremus atque anhelemus, &c.

§. 40. *Epanortoticus*. Sed vix pacis Oloribus; Ipsi enim filii Dei non sunt, nec dicuntur & esse cognoscuntur, quippe qui filios

lios potius Diaboli se approbant. Sane uti in pacis & concordia studiosus Christus ac pacificus, ac concordia cultor regnat; Ita vicissim in dissidentibus & discordibus, pacemq; Christi oblatam recusantibus, resuscitantibus, Demon regnum obtinet; Bene observante Salmerone l. c. p. 116. Væ omnibus in universum peccatoribus; Ipsi enim filii Satanae vocabuntur, & cruciatus cum Patre suo æternos sustinebunt. Æquum omnino est, ut patrem & filios eadem fata maneant. Hæreditas patris ad liberos pertinet. Cum patris Diaboli pars sit in stagno ignis, & sulphuris, Apoc. XX, 10. Partem utique suam etiam ipsius liberi ibidem invenient, cap. XXI, 8.

§. 41. *Consolatorius.* Bene autem piis atque pacem amanti- bus, pace in hoc mundo externa destitutis; Sufficiat ipsis pax interna, pax conscientia, pax in & cum Deo desiderabilis; Erigat ipsos spes consequendæ olim cœlestis ac perennantis æternum pacis. Pax terrestris est vere transitoria, cœlestis vero, dicente Gregor. M. perpetuum duratura. Bene Pacificis ob studium pacis male a pacis Oloribus exceptis: Qui enim, quæ B. Chemnitii in b. l. est observatio, inter alios dissensiones componere & pacem conciliare satagunt, illis plerumque ab utraque litigantium parte mala gratia refertur, ut in pacificatione sepe utramque partem offendant, & utrinque male audire incipiant. Die Friedemacher bekommen offte einen schlechten Danck und Lohn; Solatio ipsis sit jucundissima hæc Salvatoris promissio: Filii Dei vocabuntur. Gaudete & exultate; quoniam merces vestra multa est in caelis, Matth. V, 12. Bene abjectis & contemptum in mundo habitis; Modo pacem per fidem cum Deo habeant, magni sunt in ipsius oculis, filii quippe illius, cui omnis debetur honor atque veneratio. O quanta hæc est dignitas: Hic quidem adhuc occulta, sed suo tempore revelanda. Charissimi, nunc filii Dei sumus. & nondum apparuit id, quod futuri sumus. Scimus autem, quod si apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est, 1. Job, III, 2. Bene aliis calamitatibus in his terris pressis, omni felicitatis atque beatitudinis genere carentibus; In spe & patientia illam piis a Christo promissam uaxapiovnæ præstolentur, cum sanctis olim Angelis & electis hominibus æternum salvandi atque beandi: ubi vere implebitur, quod scriptum est, nobisque dicetur: *בְּרָכָה לְכָל צַדִּיק* Filii DEI fortis viventi estis, Hof. II, 19.



§. 42. Atque hæc pro instituti ratione nunc sufficiant. Ob-  
 signet totam hanc de Pace & Pacificis tractationem pium votum et-  
 que suspirium: *Da Pacem, Domine, in diebus nostris: Da pacem tem-  
 poralem, da pacem spiritualem, da pacem æternalem! Tibi, JESU  
 CHRISTE, Pacis Principi, sit una cum Patre & Spiritu S. Dea Pa-  
 cis, Laus, honor atque gloria in secula, quorum nullus est*

## F I N I S.

Ob fugiam vacui placuit τὸ ἐὶς ἑρνοτοῖς,

**JOHANNIS DURÆI, Theologi Britannii,**


quædam ex *Programmate* typis expresso,

& ad omnes Ecclesias, & cum primis Academias

Lutheranas directo, adjicere.

**S**iquærenda, sectanda pacis expressum DEi mandatum con-  
 temnere vel negligere per conscientiam non licet, licet etiã  
 in timore DEi pacis inveniendã consiliarios & auctores idoneos  
 inquirere, & ad studium hocce Evangelicũ capessendum pro-  
 vocare: Consiliarii autem Pacis & auctores idonei nulli magis  
 esse debent, quam illi, qui ab Evangelica professione nomen sibi  
 sumperunt, Evangelicorum. Hos ergo consulendos super hac re  
 judicamus; Constat enim Evangelicã Pacis studium pertinere  
 conjunctim ad omnes Evangelii sinceros Præcones & Professores.  
 Jam vero Evangelii sinceros Præcones & Professores sibi invicẽ  
 conjungit sanctorum communio. Sanctorum autem communio  
 est omnium (qui pietati & sanctitati student per agnitionem  
 Jesu Christi spiritualis capitis) membrorum corporis mystici  
 sympathia spiritualis. At sympathia membrorum vere spiritua-  
 lis conjunctionem animorum in usdem curis, & studiorum in o-  
 peris mutuis ad adificationem pertinentibus importat. Animo-

eum vero conjunctio in iisdem ad adificationem curis sinceram  
 consiliorum & donorum spiritualium communicationem inferit;  
 & studiorum conjunctio in mutuis ad eundem finem operis secta  
 affert communicationis illius in officiorum Christianae vitae com-  
 mercio religiosum usum fructumque; ut ex illo perveniamus om-  
 nes in unitatem fidei & agnitionis Filii Dei in virum adultum.  
 Ad mensuram plenam staturam Christi, ex quo totum corpus con-  
 grueriter coagmentatum & compactum per omnes suppeditatas  
 commissuras ex vi intus agente, pro mensura uniuscujusque  
 membri incrementum capiet corpori conveniens ad suscipiendum ex-  
 structionem per charitatem. Hortamur igitur per Spir. S. com-  
 munionem, per Evangelicam professionis sinceritatem, per obedi-  
 entiam Deo precipienti debitam, & per viscera & miserationes  
 Jesu Christi, omnes veritatis celestis, quae est secundum pietatem,  
 studiosos; qui se pium debere nobiscum, vel cum aliis com-  
 mercium inire & fovere ad Evangelicam Concordiam rationes pro-  
 movendas intelligunt: ut de medio scopo tam sancto & Ecclesiae  
 Dei summe necessario consentaneis, sententiam suam fratribus  
 communicare, & quod conculcissimum, ex lege charitatis ad an-  
 thorum communionem perficiendam facta sentient, id reipsa  
 exequi velint; atque hunc in finem ut sequentes quaestiones per-  
 pendant, atque ut iis respondeant ac responsum suo Magistratui  
 exhibeant, benigne in Christo contendimus, ut si fieri possit aspi-  
 rante eorum gratia communi quodam priorum consensu spiritualis com-  
 mercii fiat initium inter Evangelii praedicationes, & schisma, quod  
 non solum ex diverso de doctrina sensu, sed forsitan magis ex offi-  
 ciorum charitatis mutuo neglectu traxit originem, aboleatur.  
 Quod faxit Deus Pacis & Charitatis; in utriusque Me-  
 diatore & Principe Jesu Christo Domino nostro,  
 Amen.







Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

Inches  
Centimetres  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
8

5.

נ"ט קכ"א

ΑΡΙΣΜΟΣ

των

ΝΟΠΟΙΩΝ,

Seu

ΑΤΙΟ SOLENNIS

De

ΠΙΤΥΔΙΝΕ  
FICORUM,

Ex Matth. V, 9.

Quam

SU & AUTORITATE

IE-REVERENDÆ

ΤΙΣ THEOLOGICÆ

Academia Lipsiensi.

Pro

CENTIA

consequendi

in Theologia Honores

privilegia Doctoralia,

5. Aug. Anno d. 1707. XCIIIX.

ca Censuræ submittit

EL HORN, Neukircha-

Baccal. Lipsiæ ad D. Thomæ Ecclef.

: Min. PP. Collegii Collegiatus.

1707. Recusa 1707.

